HISTORIA PLANTARUM,

Quæ in

HORTO ACADEMICO LUGDUNI-BATAVORUM

Crescunt cum earum characteribus, & Medicinalibus virtutibus.

Desumptis ex ore

CLARISSIMI

HERMANNI BOERHAAVE,

Philosophiæ & Medicinæ Doctoris, Medicinæ, Botanices, Chemiæ & Collegii practici *Lugduni-Batavorum* Professoris.

PARS SECUNDA.



ROMÆ,

Apud FRANCISCUM GONZAGAM:

MDCCXXVII.

Alysson.

Alysson.

Character. Caules repentes, longi, duri, lignosi, rubicundi, tortuosi, in multos ramos divisi, lanuginem albam habentes; folia oblonga, aspera, albescentia; flores in umbellam extremitati ramorum adhærentes, quadrifidi, flavi; semper post unumquemque, florem nascitur silicula unica compressa, rotunda, quæ constat duabus membranulis & septo medio, illa membrana valva dicitur; valvæ hæ vel contra septum complicantur, vel parallela vel perpendiculariter; semina sunt ovalia, compressa, rubicunda; radix longa, lignosa, alba, fibrosa, lanuginem habens; hæc planta crescit in locis montanis.

Nomen. *Alysson* vocatur ex *ἀλύω rabie afficior*, quia hæc planta rabiem caninam curare dicitur. Hæc planta est memoratissima veteribus, sed quæ planta sit Alysson Veterum ignoratur.

Vires. Omnes hæ plantæ habent vim subtilissimam, penetrantissimam & diaphoreticam per quam expelli potest venenum. Decima & Nona recipiuntur in Medicina sub titulo Paronychiæ alterius, vires habent ut Cochlearia & Nasturtium, hyeme prodeunt & mense Januario florent, semina quoque in Medicina recipiuntur, ut emollientia, inde exprimitur oleum, decima tertia & decima quarta Sesama Germanica & Myagra officinalia quoque dicuntur, si contusa ad uncias tres hauriatur, est sudoriferum & stomachicum medicamentum, in affectibus frigidis optimum: vigesima prima hic non habetur in Catalogo, quod sub hoc

numero deſcribitur, ſed eſt Alyſſon Betonicæ folio.

Alyſſoïdes.

Character. Omnia priori ſimilia, ſed capſula ſeminis bulbata reliqua communia.

Nomen. *Alyſſoïdes* vocatur ab *ἀιδος facies* & *Alyſſon* quaſi *faciem Alyſſi præ ſe ferens.*

Vires ejus non ſunt cognitæ.

Meſpilus.

Character. Hæc Arbuſcula eſt mediocriter, alta, ejus truncus tortuoſus, rami duri & non flexiles; folia Lauri, ſed lanuginoſa, alba in inferiori parte; flores magni, roſacei, coloris albi aut rubri; poſt florem ſequitur fructus rotundus, poſt maturitatem rubicundus, carnoſus, qui fructus vocatur Meſpilum, ejus cutis eſt tenera, caro dura, alba, ſaporis auſteri, ſed poſt maturitatem dulcis, vinoſi, & grati, quinque vel quatuor oſſicula dura, oblonga, inæqualia & rubicunda habet, in ſingulis oſſiculis hæret ſemen oblongum. Meſpilum in arbore raró fit maturum, ſed poſtquam ad ſuam magnitudinem naturalem devenerit, carpitur, & in ſtramen deponitur, donec matureſcat; hæc planta ferè ubique creſcit.

Nomen. *Meſpilus* vocatur à græca voce *μέσπιλος*, *ejus fructus* dicitur græcè *τρίκοκκον* id eſt *tria grana*, licet quinque oſſicula in ſe contineat.

Vires. Folia hujus Arbuſculæ ſunt deterſivæ & adſtringentes forma Gargariſmatis in faucium

cium inflammatione adhibentur. Stipites ejus teneri in aqua cocti conducunt in dyarrhæa & dysenteria; hujus fructus in Medicina recipitur, *Forestus* dicitur his curasse hominem ditissimum diarrhæa, nullo remedio auscultante, per multos annos laborantem, jubendo eum edere mane hos fructus immaturos, & inde accepisse mille aureos pro curatione, si verò fructus perfectè sit maturus & emollitus, tum laxat. Mespila matura facilè fermentescunt, & ventriculo debili & intestinis nocent.

Lunaria.

Character. Caulis ramosus, villosus, minimi digiti crassitie, folia Urticæ, villosa, dentata; flores in summitate ramorum crescentes, quadrifidi, in crucem dispositi, purpurei, odoris non penetrantis; post florem sequitur siliqua oblonga, compressa, obrotunda, quæ includunt semina ampla, reniformia, coloris rubicundi, saporis acris cum quadam amaritudine; radix glandulosa; hæc planta crescit in montibus.

Nomen. *Lunaria* vocatur à *Luna*, quia quatuor priorum flores lunæ formam referunt, Nempe prima semi-lunam, altera lunam plenam. Quinta vires Alyssi & alliarias possidet, & habetur pro *Alysso Galeni*; cæterum vires non habent. Octava deest.

Cornus.

Character. Hujus arboris lignum est durum, compactum, album, corticem duram, rubicundam vel cineream habens, saporis adstrin-

gentis: folia oblonga, ampla, venosa, mollia; flores in extremitate ramorum crescentes, pedunculis brevibus adhærentes, quadrifidi, in crucem dispositi; post florem succedit fructus carnosus, ovalis, Olivam fere referens, sed minor, in initio viridis & acerbus, postea per maturitatem ruber & aliquando flavescens, saporis subdulcis cum aliqua grata acredine & adstrictone, in hoc fructu invenitur officulum oblongum, albescens, in duo loculamenta quæ singula unicum semen oblongum includunt, divisum, hæc arbor crescit in hortis.

Nomen. *Cornus* vocatur à *cornu*, quia ejus lignum vel fructus officulum est durum ut cornu. Hæc arbor olim sacra fuit *Apollini*, quia inde arcus huic conficiebantur; hic notandum est de hoc arbore, quod illa, si in hortis colatur, fructus acriores det, aliter omnes plantæ & arboris sylvestres acriores non sunt, si quoque domi alantur.

Vires. Folia & fructus habent vires adstringentes; hinc conducunt in hæmorrhagia, diarrhæa & dysenteria, inde conserva & rob conficiuntur.

Pavia Arbor.

Flores habet, ut Branca Ursina, multi Auctores volunt; quod sit Ricinoides Americana, sed flores non conveniunt; vires ignoro, at est acris ut Tythimali.

Thlaspidium.

Character. Caules ramosi, tenues, rotundi, pauca folia habentes; folia ex radice erumpentia

lia longa, aspera, viridia, sinuosa, villosa, Hieracium referentia, in terram repentia; flores exigui, in summitate ramorum crescentes, quadrifidi, flavi, in crucem dispositi; post singulum florem sequitur fructus vel capsula ex binis quasi constans partibus, ambabus fere rotundus, quæ binæ in unum fructum colliguntur, ut perpendiculariter contra septum suum cohæreant medium; semina oblonga, compressa, rubicunda; radix longa & mediocriter crassa; hæc planta crescit in regionibus calidis.

Nomen. *Thlaspidium*, à *Thlapsi* vocatur, quia hanc plantam aliquantulum refert.

Vires sunt nullæ, nisi Oleraceæ.

Thlaspi.

Character. Caules rotundi, ramosi, villosi; folia longa, dentata, coloris viridis, saporis acris; flores exigui, albi, Bursam Pastoris referentes, quadrifidi, post florem sequitur fructus seu capsula seminis orbiculata, planè compressa, oris extremis foliaceis supernè bifariam dehiscens septo intermedio obliquè perpendiculariter ad valvas posito; semina parva, oblonga, compressa, rufa, saporis acris & fervidi; radix sat crassa & fibrosa, lignosa, alba, aliquantulum acris. Hæc planta crescit in locis desertis.

Nomen. *Thlaspi* vocatur à θλάω *comprimo*, quia ejus siliqua est valde compressa.

Vires. Huic characteri accedit, quod saporem penetrantissimum Allii habeant, qui se ilico diffundit per totum os imprimis 1. 2. sapor penetrantissimi ipsius allii, ut & reliqui,

hinc hujus ſemina ingrediuntur Alexipharmacis & thoracicis medicamentis, in quibus eſt tanta vis perſpirationem augens, ut venenum ſuſceptum vi aromatica per perſpirationem vel ſudores expellat, hinc contra peſtem laudatur, eſt herba antiſcorbutica, diuretica & in venerem ſtimulans. Tertia inſtar Millefolii apparet, & dein folia Perfoliatæ accipit. *Tournefortius* quodam jure refert ad Naſturtium niſi ſapor obſtaret; Decima eſt herba amariſſima penetrantiſſimæ virtutis, nam ſi manducetur, ſalivam copioſé provocat, & omnes plantæ, quæ hoc faciunt, ſunt optimè aperientes, nam in ventriculo eodem modo agunt. Undecima quoque eſt penetrantiſſima. Semina contrita nobile dant medicamentum ad uncias duas diaphoreticum in venenis, ſi in vino rhenano vel aceto in peſte adhibeatur, egregios effectus præſtat, in morbis frigidis eſt optimum remedium; in rumpendis abſceſſibus, internis, pellenda urina & menſibus hæc ſemina uſurpantur. Cavendum verò, ne facilè gravidis exhibeantur, quia uterum nimis commoventia abortum cauſant, externè ulceribus inſperſa ea mundificant & abſtergunt; in doloribus iſchiaticis adhibentur, & in Theriacam ingrediuntur. Omnes plantæ tetrapetalæ ſiliquoſæ, nempe à Crambe uſque ad Cakile ſi manducentur, quadam acrimonia mordaci os manducantis afficiunt, habent aliquid calidi & odorem fætidum, non odorem herbæ, ſed fætent inſtar Cæpæ, hæ quoque ſemper putreſcunt, hinc abundant ſale volatili alcalino, quod cæteræ non faciunt, hinc omnes ſunt herbæ antiſcorbuticæ, quæ conducunt, ſi lentor vel frigus adſit, cum ergo hæ plantæ in venerem ex-

excitant & faciunt ſalaces, hinc ſunt calefacientes, ſudoriferæ, diaphoreticæ contra acidum, non verò hæ ſunt adhibendæ in morbis calidis, undè eſt quod creſcant in regionibus frigidis paucis exceptis, ſi aroma in his ſubtilius ſit, tum adeſt vis diaphoretica, ſi acrior, tum ſudorifera; nullæ ſunt venenatæ, ſed æquè bonæ, ſicque omnes conveniunt, ubi iners pituita vel acidum valde prædominetur.

Naſturtium.

Character. Caules ramoſi, rotundi, ſolidi; folia oblonga, profundè inciſa, ſaporis acris, ſed grati; flores in ſummitate ramorum creſcentes, exigui, quadrifidi, cruciformes, coloris albi vel purpurei; poſt florem ſuccedit fructus ovalis, compreſſus, diviſus in duo loculamenta, continentia ſemina obrotunda, parva; oblonga, ſublutea, aliquantulum compreſſa, in cacumen pallidum deſinentia, ſaporis acris amaricantis; radix fibroſa, ſimplex, lignoſa, alba; hæc planta in hortis colitur, differt à Thlapſi, quod non Allio oleat, & folia tenuiſſima diviſa habeat, in Thlapſi ſunt integra.

Nomen. Naſturtium vocatur quaſi *naſi tormentum*, quia tantam acrimoniam habet, ut comeſta ſternutationem provocet.

Vires ſunt antiſcorbuticæ, oleoſæ, & ſalinæ, his radicatum jam hydropem à cauſa frigida curavi, hic verò viſcera nondum erant affecta, ſuccus expreſſus ad unciam unam in hoc morbo & diæta ſicca valde conveniunt, hieme ſumo ejus ſemina, hæc herba ſanguinem liquefacit, & acrem reddit, convenit

ergo, ubi lentor & frigus adsunt, in calidis verò morbis est venenum, morbos pituitosos funditus eradicat, pectori senis prodest, ubi phlegmata respirationem impediunt, histericis, hypochondriacis, & scorbuticis conducit, folia recenter contusa fomento permista parum calefaciunt, rubefaciunt, & vesicas excitant diutius applicata; ubi pituita dulcis, lentor, merum frigus, summa acidi laxitas & in omnibus his casibus optimè convenit; in scabie etiam prodest: semina singulari quadam proprietate conveniunt in herniis tam internè quam externè & ad expellendos morbillos inserviunt; menstrua obstructa provocant.

Bursa-Pastoris.

Character. Folia oblonga, profundè incisa, repentia, caules exigui, ramosi, in alas divisi, folia habentes, hæc integra, illa profundè incisa; flores parvi, albi, juxta caules ordinati, quadrifidi, cruciformes; post florem sequitur fructus triangularis, compressus, bursam referens, divisus in duo loculamenta, continentia semina exigua, fere obrotunda, nigra; radix longa, alba, fibrosa, saporis subdulcis & ingrati; hæc planta crescit in omnibus locis incultis.

Nomen. *Bursa pastoris* vocatur, quia ejus fructus bursam pastoris refert.

Vires. Omnes Botanici dicunt esse plantam frigidam, quod videtur contradicere iis, quæ de plantis tetrapetalis siliquosis dixi, hoc ideo dixerunt, quia hæmorrhagiam compescit & stiptica est, nam contusa vulneri applicata sanguinem sistit, ejus succus naribus attractus hæ-

hæmorrhagiam ſiſtit, vaſa roborat & conſtringit, ſed an ideo frigida eſt dicenda, nam Alcohol ſanguinem ſiſtit, ſic & ferrum candefactum, quod tamen calida ſunt, præterea adeſt ſapor adeo acris, ut ſi contrita folia manui applicentur, fere inflammationem faciunt. Hæc planta convenit in ſputo ſanguinis quibuſvis, nonnulli etiam adhibent in pollutionibus nocturnis, diarrhæa, dyſenteria, mictione cruenta, nimio mulierum fluxu.

Lepidium.

Character. Caules rotundi, ramoſi, politi, medullam habentes; folia longa & ampla, acuta, craſſa, in margine inciſa, alternatim diſpoſita, folia partis inferioris caulibus adhærent; flores in ſummitate ramorum creſcentes exigui, albi, quadrifidi, cruciformes, poſt florem ſequitur fructus vel ſiliqua plana utcunque in cuſpidem definens, referensque ferrum vel cuſpidem haſtæ militaris, & dehiſcens in duo loculamenta, ſemina exigua & oblonga continentia; radix longa, repens, alba, digiti craſſitie, ſaporis acris. Hæc planta creſcit in umbra.

Nomen. *Lepidium* vocatur à λεπὶς, *ſquamma*, vel à λέπω *decortico* quia Veteres hac plantà Lepram curabant cutim amovendo; nam cûtim exurit, dicitur *Piperitis* à *pipere*, quia tàm acris eſt ut Piper belgicè vocatur *Vreyſterkruyt.* Germanicè *pheſſerkruyt.*

Vires. Sapor hujus plantæ eſt ſingularis nempe igneus, Primum eſt *Lepidium Pauli Æginetæ*, ſi folia manducentur, labia lingua & fauces exuruntur, quaſi in igne eſſent poſita;

 hinc

hinc folia cum aceto contrita dantur ad famem excitandam, & expediunt duros cibos calore suo digerentem vim augendo, & contra scorbutum frigidum adhibentur; externè conducit hæc planta ad verrucas sanandas; secunda est Antiscorbuticorum princeps, tamen si scorbutus veniat à putredine, valde nocet; Veteres crudam plantam æstivo tempore cum butyro contusam farinæ permiscent & hoc cataplasma summo cum successu adhibetur in Podagra & doloribus ischiaticis.

Cochlearia.

Character. Folia ex radice erumpentia obrotunda, mediocriter ampla, carnosa, excavata aliquando, viridia, polita, succo plena, caulibus longis purpureis adhærentia; caules angulosi, rubicundi, ramosi, folia exigua oblonga sine caulibus habentia; flores quadrifidi cruciformes & albi; flori succedit siliqua ferè sphærica septo modo instructa, cui ad latera adhærescunt semina exigua, fere obrotunda, rubicunda; radix exigua, recta, & fibris albis instructa. Tota planta contrita habet odorem penetrantem & saporem acrem: crescit plerumque in locis maritimis.

Nomen. Cochlearia vocatur à *cochleare*, quia folia hujus plantæ instar cochlearis sunt excavata, qua de causa *Martialis* canit.

Sum Cochleis habilis, sed nec minus utilis ovis:
Numquid scis potius cur cochleare vocer!

Vires sunt Antiscorbuticæ; folia, radices, caules & semina, quæ copiosissimo sale gaudent

dent in usu sunt, folia contrita odorem spirant vix sine lachrymis ferendum, exsiccat, calefacit, sudorem movet, crassa attenuat, stimulat, in scorbuto cum acido prædominante convenit, sed in scorbuto ubi sanguis jam in putridum vergit, est medicamentum pessimum & lethale, folia contrita & cuti apposita instar mille acuum pungunt, si diutius hæserint, exurunt ad ossa; prima est *Raphanus Rusticanus Officinarum*; dicitur radix belgicè. *Mierichwortel*, *Peperwortel*, folia sunt medicata, si succus expressus ponatur in putrefactione, sal volatilis alcalinus ac ex urina ex hoc educitur, hinc videtis rationem, cur tantum nomen meruerit in scorbuto acido, verum in altera scorbuti specie est pessimum, vidi hoc in casu hanc plantam datam, inde hepar ruptum fuisse, ubi calor deficit, & ubi frigus & lentor adest, ibi convenit, si vero calidus fætor cum putredine adsit, tum hominem occidit, sic etiam in hydrope à causa frigida optimè convenit aliter non; vidi verò mictus secessus sanguineos ab usu intempestivo cochleariæ; sic fuit puella quædam in hac urbe, quæ scorbuto calido laborabat, illi verò hac herbâ datâ profluvio narium incontinenti laboravit, donec postea per Acetosam sanata fuit. Si radix sumatur majori copiâ, excitat vomitum, radix in scobem contrita & ad uncias duas hausta conducit pituitoso stomacho laborantibus, & si simul vomitus accedat, tum aqua tepida magna copia superhauriatur; si cochlearia cum Acetosa jungatur, evadit optimum remedium Antiscorbuticum, aliter ubi ejus acredo suspecta videtur, temperanda est lacte vel sero lactis, vel passulis; adhibetur instar garis-

garismatis ad gingivarum putredinem; ex hac planta spiritus & tincturæ conficiuntur optimæ.

Erucago.

Character. Caules rotundi, excavati, asperi; folia in inferiori parte repentia, oblonga, angusta, rugosa, villosa; flores exigui, quadrifidi, cruciformes, coloris flavi; flori succedit siliqua quadrangularis, hirsuta, desinens in acumen spinosum, continens duo semina rotunda, rubicunda, radix longa, satis crassa, albescens, multasque fibras habens; hæc planta crescit in regionibus calidis.

Nomen. Erucago vocatur ab *Eruca*, quia hæc planta Erucam Sylvestrem refert.

Vires sunt ut in præcedentibus antiscorbuticæ.

Raphanus.

Character. Folia magna, ampla, aspera, viridia, profundè incisa, Rapam referentia, sed magis sinuosa; caules rotundi, ramosi, flores quadrifidos purpureos & cruciformes habentes; radix longa, crassa, carnosa, alba rubicunda aut nigra, saporis acris & penetrantis, sed grati; hæc planta in hortis colitur, radix è terra effoditur vere, quando est tenera, succulenta, fragilis & esculenta.

Nomen. Raphanus dicitur, à ῥαδιος *facilis*, & φαίνω *appareo*, quasi *planta facilè apparens*, nam hæc planta sata è terrâ citò erumpit prima secunda & tertia belgicè vocantur *Ramelas*. Quarta & quinta *Radysen*.

Vires

Vires ut Cochleariæ, Radix eſt eſculenta, inteſtinorum pituitam expellit, & carminativa eſt, folia, flores ſemina & radices ſunt antiſcorbuticæ, ideo homines ita appetunt & conveniunt pituitoſis, ſuccus ex radicibus & ſeminibus expreſſus cum melle mane hauſtus eſt optimum remedium (præſertim ſi ſerum lactis ſuperhauriatur) expurgat enim ſtomachum, renes, pulmones, contra tuſſim à pituitâ in diuturna raucidine, ſed non convenit his, qui ex inflammatione tuſſiunt, nec qui ſanguinem ſpuunt, folia inter olera recipiuntur, radix multum aquoſi & acres habet, quò verò radix eſt ſiccior, eò acrior, ſi coquatur, acredo perit; aquoſitas verò facit flatulentiam, hinc dicitur in hypochondriacis non prodeſſe, verum magnam incipientem hydropem, ſi quotidie hæc radix aſſumatur, hac radice curare poſſumus, in ſcorbuto uſus ejus eſt egregius; hæc radix eſt aperiens, incidens, conducit in calculo, colica nephritica, retentione urinæ & menſtruorum, & in Ictero; ſemina ſunt aperientia, ſed intus ſola aſſumpta nauſeam excitant.

Braſſica.

Character. Caulis craſſus, corticem durum & ſubſtantiâ medulloſâ repletum habens, ſaporis acris ſubdulcis. Folia in initio erumpentia ſunt ampla, ſucculenta, obrotunda, fragilia, rubicunda, rugoſa, inciſa, ſinuoſa, caulibus longis & craſſis adhærentia plerumque convoluta, nervoſa, foliis in parte inferiori deciſis, altera ſuperioris partis ſibi invicem accumbentia & comprimentia formant magnum caput abrotundum; flores quadrifidi, flavi & crucifor-

mes, flores & ſiliqua cum reliquis conveniunt, ille enim eſt tetrapetalus, hæc teres, oblonga, cylindrica, anguſta, acuta, ſeptio medio in duos loculos diviſa, cui accreſcunt ſemina plurima obrotunda, hæc planta dividitur in tres ſpecies, 1. foliis clauſis & dicitur capitata 2. foliis explicatis, 3. Braſſica cauliflora, radix hujus plantæ eſt craſſa, multas habens fibras.

Nomen. Braſſica vocatur ab ἀπὸ τȣ Βρaξειν *vorare* quia hæc planta locum tenet inter herbas edules. *Martialis* de hæc planta canit.

Nec tibi pallentes moveant faſtidia caules.
Nitrata viridis braſſica fiat aqua.

Vires. Cato Conſul Romanus, Chryſippus, Dieuches & *Pythagoras* integros libros de hac planta ſcribentes dixerunt, quod ſola ſufficiat pro nutrimento. Septima dicitur belgicè *Arabiſchekool.* Decima vocatur *bloemkool*, non poſſumus dicere quod id, quod in hac Braſſica eſui inſervit, ſint flores, ſed ſunt quaſi radices, quæ poſtea flores faciunt, vires in culina & medicina ſunt optimæ, folia enim præbent nutrimentum, quod egregium eſt ad mitificanda acria ſalia & deliniendam acrimoniam in inteſtinis; renes expurgant, omnia coagula ſolvunt, ſtricta emolliunt; hæc planta pectori eſt amica, ſi committantur capita Braſſicæ rubræ contuſa clauſo vaſe in clybano piſtoris per $\frac{1}{4}$ horæ (poſtquam panis eſt eductus) addito melle vel ſaccharo vel ſuccus glycyrrhiſæ belgicè *drop* reſolvitur in gelatinam, & habebitur ſuccus ſpiſſus in ſemetipſo coctus, egregius ad tuſſim à ſiccitate in exaſperatis faucibus ſenum ut ad Phty-

ſicos

ficos tussientes & sanguinem spuentes. Sputo purulento obnoxii egregiè hac planta adjuvantur, succus detur ut potus antiscorbuticus senibus; ad asperas fauces deliniendas laudatur, hæc planta cum succo citri & butyro parum decocta optimum est remedium phtysicis & hecticis; folia rubra epidermide detracta & costis separatis inflammationi, vulneribus, ulceribus scabiosis pro emplastro inserviunt, folia decocta cum butyro in formam Cataplasmatis conducunt ad tumores emolliendos, folia decorticata sunt optima in lepra & tinea, si bis de die renoventur, brassica alba minus salutaris est quam rubra, quia brevi fætet in exulceratis corporibus. Hæ omnes Brassicæ recentes non olent, si verò ponantur in locis humidis, facilè transeunt in putredinem, sed tamen non habent acrimoniam, licet magnâ copiâ assumptæ sanguinem faciunt alcalinum; folia pellicula extima denudata sunt optima ad sedandam sitim & levandum pectus, vidi inde historiam mirabilem in duce militum, cujus pectus erat perfossum ab utroque latere, unde ingentem puris copiam continuò effluebat, ita ut plus puris ex hoc vulnere effluxisset, quam ipse gravis erat, qui æger sola Brassica fuit curatus, hac ratione curavi aliquem, qui putrido pulmone laboravit, suadendo, ut nil nisi decoctum Brassicæ rubræ sumeret cum paulo sale & succo Aurantiorum; sic etiam *Tachenius*, qui occupatus inquirendo universale remedium in Arsenico, inde à vapore pulmones infectos accepit, & cum in tota chemia inter omnia sua arcana nil inveniebat, unde curari posset, sumpsit decoctum Brassicæ rubræ cum pauco sale & succo aurantiorum & sic sanatus est.

Rapa.

Rapa.

Character. Folia oblonga, magna, ampla, repentia, profondè incisa, aspera; flores quadrifidi, cruciformes, flavi, flori succedit siliqua cornu fungosum referens, septo medio divisum, semine subrotundo & rubicundo prægnans; radix crassa, expansa, carnosa, oblonga aut rotunda coloris viridis aut albi aut rubicundi, aut externè nigricantis, in parte inferiori fibras habens, internè dura, alba, saporis aliquando dulcis aliquando acris; hæc planta est vulgatissima, dicitur, quod si Brassica seminetur, & inde semina colligantur, & dein iterum seminantur usque ad quartam vicem & annum, quod tum transeat in Rapam, & Rapa per tres annos in Brassicam, hinc inter has plantas magna est affinitas *Martialis* dicit hæc fieri frigore dulciora.

Hæc tibi brumali gaudentia frigore rapa:
Quæ damus, in cælo Romulus esse solet.

Vires cum Raphano conveniunt, si cortex radicum manducetur, saporem acrem exhibet, succus interioris medullæ est mellitus, radix cocta & excorticata scorbuticis egregia est, qui vim demulcentem habere volunt, decorticant, sic ex radice bene matura, & rasa antequam semen ferat, succus expressus decoquatur & despumetur addito melle ad $\frac{1}{3}$ totius incomparabile est medicamentum ad omnia oris ulcera, aphthas detergendas, si potetur nobile medicamentum est contra tusses inveteratas, semen calefactum & pressum dat oleum, cujus usus

est

est quotidianus, bulbus sub cineribus coctus est anodynus in inflammatione aurium, idem cum butyro coctus in forma cataplasmatis est optimus ad tumores emolliendos. *Nicander* scripsit, quod optimum sit ingrediens in alexipharmacis & theriacis, sic etiam esui & pro condimento inservit. *Galenus* dicit esse alimentum optimum sed flatulentum, quæ flatulentia coquendo vel assando tamen perit, quia verò semper decorticatur, hinc tamen flatulentiam aliquam retinet; regulæ de Rapis sunt sequentes. Quò minor bulbus, eò acrior sapor, & quò terra arenosior, eò acrior, cortex bulbi semper est amarus, & sic etiam est planta antiscorbutica. Medici hodierni maximè laudant ejus succum, si nempe totum corpus bulbi prematur in pollinem, & succus exprimatur, qui est acer, hinc melle addito detur gargarisando, quod medicamentum etiam in angina vel peripneumonia convenit. Octava, si sit pertusa à vermibus, tum etiam acrior evadit, quia per vulnus succus aquosus extrahitur: flatulentiam verò magnam in Rapis crudis hærere patet; demonstravit *Boyleus* ponendo Rapas decorticatas in vacuo per viginti quatuor horas, tum per hoc tempus quinque atmosphæras generant, id est aërem ibi quinquies graviorem reddunt, quam hic externè, sic etiam Raphani, ita ut in his sit vis antiscorbutica, & maximè detersiva.

Napus.

Character. Folia oblonga, profundè incisa, viridia, aspera; flores quadrifidi, flavi, cruciformes; flori succedit siliqua longa, rotunda,

da, diviſa in duos loculos, continentes ſemina ſatis craſſa, fere rotunda, coloris purpurei, ſaporis acris & pungentis, radix oblonga, rotunda, in parte ſuperiori craſſa, carnoſa, in inferiori minor, coloris albi aut flavi, extus aliquando nigricantis; intus albi, ſaporis dulcis penetrantis & grati; hæc planta in locis humidis colitur; *Martialis* de hac planta canit.

Nos amiternus ager felicibus educat hortis.
Nurſinas potius parcius eſſe pilas.

Vires ſunt paulo acriores ac Rapa, cæterum fere in omnibus convenit hæc planta, ita ut novum genus formare non neceſſarium fuiſſet.

Sinapi.

Character. Folia Rapæ, ſed minora, & magis aſpera; caulis rotundus, villoſus, in multos ramos diviſus; flores quadrifidi, flavi, cruciformes; poſt florem ſequitur ſiliqua oblonga, brevis, anguloſa, acuta, habens ſemina ſubrotunda, rubicunda aut nigricantia, parva ſaporis acris fervidi; radix lignoſa, fragilis, alba fibroſa.

Nomen. Sinapi vocatur græcè σίνηπι, à σίνειν ὦπας; quia ejus ſeminibus imprudenter utentibus ſtillant lachrymæ; naſus rubeſcit oculique tument, belgicè dicitur *moſtaert* inomnibus generibus, quia ſemen contuſum muſto miſcebatur, unde liquidum craſſum conficiebatur ad appetitum excitandum.

Vires. Nicander multum laudat in experimentis chemicis hanc plantam, dicit nempe contra

contra omnem opinionem chemicorum, quod salem volatilem alcalinum acrem det æquè ac Cornu Cervi, si crudus comedatur, fumus ore excitatus non solum lachrymas, sed tumorem, pruritum & sternutationem facit. 1. Externè inservit pro sinapismo veterum, si nempe semina cruda in pultem contrita parti, quæ exulcerandæ est, imponantur; si verò hoc sæpius reiteretur, Gangrænam facit. 2. Internè convenit in omni morbo, ubi inertia aquosa phlegmatica prædominatur, vidi hujus mirabilem effectum in puella quadam *Amstelodami*, quæ convulsionibus laborans omnibus frustra tentatis tandem ex consilio *Ruyschii* usu hujus Sinapi crudi contusi cum vino fuit curata, conficitur inde mustardum belgicè *mostaert* dictum, quia in Italia cum Musto conterebatur, unde dixerunt mustum ardens, hinc mustardum, hoc optimum est ad cibos digerendos duros cum aceto, nostri classiarii hoc mustardo sic parato maximè indigent; nam est egregium præservatorium contra scorbutum. Semina attenuant & incidunt, hinc crassis cibis, fumo induratis, sub embammatis specie tanquam approprietatum condimentum adduntur. In malo hypochondriaco, inflationibus ventriculi, obstructionibus lienis aliisque morbis ab acido pendentibus tam internè quam externè conveniunt. Huc spectant scorbutus, cachexia, chlorosis, affectus soporosi; venerem quoquoque stimulant, diuresin promovent. Oleum expressum externè applicatur in paralysi & affectibus frigidis. Semen etiam in febre quartana & aliquando quotidiana adhibetur. Decima quinta est nova planta nempe Sinapi

Lu-

Luteum Chelidonii quernifolio cupani in horto Catholico.

Eryſimum.

Character. Caulis villoſus, rubicundus, ramos quoſdam flexiles habens; folia bina, ſe invicem oppoſita, Sinapi referentia, profundè inciſa; flores exigui, quadrifidi, flavi, cruciformes, flori ſuccedit ſiliqua tenuis, rotunda, diviſa in duo loculamenta, quæ continent, ſemina exigua, rotunda, ſaporis acris fervidi; radix alba, lignoſa, acris, digiti minimi craſſiite; hæc planta creſcit in locis deſertis.

Nomen. *Eryſimum* vocatur ab ἐρύω *extraho*, quia ob ſuam caliditatem habet vim eruendi extra corpus quid latet.

Vires. *Lobelius in ſuis adverſariis* & reliqui omnes recentiores dicunt ſe eſſe expertes, quod ſi hæc herba inſtar Thée uſurpetur addito melle, quod tum hoc infuſum omnes raucedines tollat, phlegmata & pituitam inertem expellat, idem eſt effectus in catharroſis ſenibus, quibus pituita iners in pulmonibus hæret, hinc Phtyſicis optimè convenit, in hydrope quoque laudatur, inde fit adeo famoſus ſyrupus Eryſimi *Lobelii*, in tuſſi optimus, doſis eſt ad unciam dimidiam. Cæterum vires ſunt Sinapi ſed leviores.

Turritis.

Character. Folia ex radice erumpentia, oblonga, villoſa, ſinuoſa, repentia, caulis ſolidus, rotundus, habens folia exigua, acuta, ſine caulibus, flores in faſtigium turris inſtar

aſſur-

assurgentes exigui, albi, quadrifidi, cruciformes; flori succedit siliqua compressa, continens semina exigua rubicunda, saporis acris; radix fibrosa alba; hæc planta crescit in montibus.

Nomen. *Turritis* vocatur à *forma turris* quem siliqua refert.

Vires. Prima & secunda recipiuntur in Medicina, estque vis ut in Erysimo, sed non adeo decantata.

Eruca.

Character. Caules lanuginosi; folia Sinapi, sed minora, tenera sine lanugine; flores quadrifidi, cruciformes coloris albi subcærulei, punctis nigris instructi; flori succedit siliqua longa, divisa in duos loculos, continentes semina subrotunda, flava; radix alba, parva, lignosa; hæc planta crescit in pratis.

Nomen. *Eruca* vocatur ab ἐρύειν *attrahere* vel ab *erodere*, quia hæc planta habet saporem acrem.

Vires. Radices, semina & folia manducata excitant saporem fervidum valdeque penetrantem, non tamen urentem, sed qui imprudenter nimium de hac planta edunt, solent toto genere nervoso affici, hæc planta est famosa Poëtis, quia vires Veneri sacræ esse dicuntur, hinc à *Columella* vocatur planta frugifera, est herba *Priapo* sacra, unde Poëta canit.

Excitet in Venerem tardos Eruca maritos
Erucasque simul vitare salaces.

Martialis hanc plantam vocat salacem, dum canit.

Nec

Nec deest ructatrix mentha, nec herba salax.

Hæc herba in morbo frigido convenit, si manducetur, calefacit non tantum os, sed etiam pericordia, at non adeo ut Sinapi. Hæc planta palam nemo uti audet, ne nimis in Venerem torpere videatur, quia salacitatem provocat, si omnia naturalia sunt bene disposita, tum aliquid facere potest, ut ejus sapor denotat; sed si hæc deficiant, tum nec carmina nec herbæ juvant, ut Poetæ dicunt, *Martialis* canit.

Sed nihil erucæ faciunt, bulbique salaces;
Improba nec prosunt jam satureia tibi.

Hæc planta urinam & sudores movet, ingreditur in Aphrodiasis compositionibus, quæ sunt quasi veneri excitandæ propriæ, tumque basis est Eruca, præprimis secunda species, quæ in Italia & Græcia crescit, ubi major calor vires sunt majores, summum effectum ab hac herba observavi in soporosis & torpidis, si cum vino contrita adhibeatur, usus est optimus in scorbuto lento, viscido & pituitoso, menstrua obstructa provocat & hydropem curat, septima id est Eruca tenuifolia cum saccharo cocta infantium tussim curat juxta *Mathiolum.*

Sisymbrium.

Character. Caules striati, excavati, aliquando rubicundi: folia oblonga, acuta, profundè lanciniata, dentata, alternatim caulibus adhærentia; flores in summitate ramorum cref-

cen-

centes, quadrifidi, flavi, cruciformes; flori succedit filiqua exigua, brevis, divifa in duos loculos, continentes femina obrotunda fere; radix oblonga, alba, acris, minimi digiti craffitie; hæc planta crefcit in paludibus & locis aquofis *Rapinus* de hac planta canit.

Quæque per irriguas quærenda Sifymbria valles
Crefcunt, nectendis cum myrto nata coronis,

Nomen. *Sifymbrium* vocatur à σῖον *fium* & βρος, quia hæc planta in locis aquofis crefcit, belgicè dicitur *waterkerffen.*

Vires. Secunda eft planta medicata, habetque faporem odoremque Erucæ, atque amaritiem omnibus laudatam, & fic in fcorbuto, ubi audemus Cochleariam & Nafturtium adhibere, convenit, fic & in bellariis adhibetur; curat omnes morbos ex nimio vifcido & lento fanguine, fuccus mane per menfes hauftus egregiè curat ulcera fcorbutica; Vis eft ut in Cochlearia, fapor idem, radix longe minor, minus tamen acris eft, feptima eft benigniffima, habetque vires benigniffimas, quas in Eryfimo & Eruca explicui. Decima omnium maximè infervit ad detergenda ulcera maligna, ad depuranda faniofa, & ad confolidandum imprimis, fi fimul internè & externè adhibeatur; hinc dicitur Chirurgorum fapientia, eft enim planta faponacea adftringens, vulneri impofita abfque putrefactione ad curationem perducit, urinam movet, conducit in calculo & hydrope.

Pu-

Punica, quæ malum granatum fert.

Character. Rami hujus arboris ſunt exigui, anguloſi, ſpinoſi; ejus cortex eſt rubicundus; folia exigua, Mirthum referentia, ſed minus acuta, caules rubicundos habentia, contuſa odorem ſatis fortem præbentia; flores magni, rubicundi, roſaçei, polypetali, ovario, intra calicem innati, ſtaminibus numeroſiſſimis præditi. Ovarium, excuſſo flore, emarcidis ſtaminibus, calicem in umbilicum contrahens, fit fructus pomiformis, cortice lentiſſimo, colore purpureo, extus obſcuro, intus flavo, pulpâ vinoſâ, in multis loculis condens plurima ſemina oblonga, flaveſcentia; finis pedunculi fit ovarium, cujus apici innaſcitur calix monophyllus, multifidus, colore floris ruberrimo, campaniformis. Tres mali granati ſunt ſpecies, vocantur granata dulcia, 2. granata acido-dulcia, ſeu vinoſa, 3. granata acida; hæc arbor creſcit in hortis præſertim in regionibus calidis, ut in Hiſpania. *Rapinus* de hac planta canit.

Quid memorem quanto ſe Punica malus honore
Efferat, ut virides ramis fruticantibus hortos
Ornet. & ardenti ramos conveſtiat oſtro.
Nam neque ſe quiſquiam florum de gente, neque ipſo.
De genere arboreo, ſimili ſe jactat honore,
Fronde ſuper viridi multo flos aureus igne,
Et formæ inſignis, varioque volumine criſpus
Lucet, & egregio per agros ſplendore ſuperbit.
Poſtquam autem flori ſua denique forma receſſit,

Pur-

Purpureo pro flore, suum se fructus in orbem
Informat, tenditque nova super orbe coronam.
Intus quæ Tyrio, sunt perlita grana rubore,
Mille latent, digesta suos, ex ordine certo,
Per loculos, ceu cum moliri cerea regna
Cæpit apis, mellique suas distendere sedes,
Ordine multifido, & crates fundare favorum.
Nam sua cuique acino cella est angusta, suusque
Ordo, quem tenui septa membrana coërcet.
Durior, & reliquæ ponit fundamina mali,
Granaque sunt ori per sese dulcia tantum,
Quantum acida, & mixtum referunt ab utroque saporem
Unde corona autem, seu purpura mixta coronæ,
Venerit huic pomo, non est exponere longum.
Maura fuit prisco Nomadum de sanguine virgo,
Et quantum color ille tulit, formosa: sed isti
Non par respondit fati indulgentia formæ.
Nam patrios, utque ipsa oracula divûm,
Dum se virgo super nimis ambitiosa rogaret:
Responso vatum ambiguo sibi regna putabat
Portendi, quando spondebant fata coronam.
Demens, quæ vatum potuit, confidere dictis!
Namque triumphatis, dum se referebat ab Indis,
Illam connubii specioso nomine cepit
Visitator Bacchus: mulier frustrata, coronam
Erepti retulit pretium dotale pudoris:
Postquam facta virens, de corpore virginis arbos,
Formaque succeſsit formæ diversa priori:

Nomen. *Punica* vocatur à *puniceo colore*, nam ejus flores & fructus sunt rubicundi, *Granatum* à *granis*, quia hic fructus multa habet gra-

 na,

na, vel a *Granata*, quia in regno granatensi magnâ copiâ crescit.

Vires. Flores Granatorum aliter Balaustia officinarum dicuntur, qui flores sunt adstringentes, roborantes & refrigerantes, hinc conducunt in Diarrhæa, Dysenteria, Lienteria, Hernia, uteri fluore, sanguine vulnerum cohibendo & Gonorrhæis. Cortex hujus arboris dicitur *Malicorium*, quia lentorem & tenacitatem corii habet estque adstringentissimus, vocatur etiam *sidium* à *sidone agro*, quia olim ex hoc loco magnâ copiâ advehebatur, hic cortex conducit in feminis profluvio, fluxu albo, hæmorrhagiis narium & hæmorrhoidum, vomitu nimio tam simplici quam cruento, uti & gravidis pica laborantibus, ingreditur quoque gargarismata & clysteres adstringentes, externè ad pudenda exulcerata ut & ad suffusiones oculorum & leucomata laudatur, præcavent quoque ne oculi à Variolis & Morbillis lædantur. Hæc arbor habet succum vinosum & acidum qui bilem, sitim æstumque febrilem temperat, est cardiacum optimum, vomitum & diarrhæam curat, semina etiam sunt adstringentia, conducunt in Gonorrhæis. Syrupus granatorum est optimus in febribus continuis, ex cortice mali fit atramentum cum vitriolo.

Cardamine.

Character. Folia ex radice erumpentia, oblonga, obrotunda, caulibus longis adhærentia; flores in summitate caulium, crescentes, albi aut aliquantulum purpurei, quadrifidi, cruciformes, flori succedit siliqua oblonga, bivalvis, cujus valvæ per maturitatem helicis instar

inſtar retroflectunt, & ſemina exigua, ſubrotunda magno impetu ejiciunt, radix parva & fibroſa. Hæc planta creſcit in pratis & locis humidis.

Nomen habet à *Cardamo*, quod dicitur *Naſturtium*, hinc eſt parva ſpecies Naſturtii vel à *κὰρ cor* & *δομάω domo*, quaſi *planta cordis deficientes vires reſtaurans*, vocatur *herba impatiens*, nam attactu ſemina diſplodit.

Vires perfectè ſunt ut in Siſymbrio, nempe calefacientes & antiſcorbuticæ; Prima & ſecunda ſunt optimæ in ſcorbuto, & imprimis ubi levis adhibendus eſt ſtimulus.

Leucojum.

Character. Caules rotundi, lignoſi, in multos ramos diviſi, lanugine alba inſtructi; folia oblonga Salicem referenria, alba, mollia, lanuginoſa; flores in ſummitate ramorum creſcentes, quadrifidi, oblongi, cruciformes, coloris rubicundi aut purpurei aut violacei, aut albi, odoris ſuavis; flori ſuccedit ſiliqua oblonga, anguſta, compreſſa, ſepto medio diſtincta, cui adhæreſcunt ſemina orbiculata, plana, ad margines foliata, coloris rubicundi, ſaporis acris; radix exigua, ſed lignoſa & fortis, dividuntur hæ plantæ in folia incana vel viridia, incana ſunt latifolia. Hæc planta colitur in hortis. *Rapinus* de hac planta canit.

Parte alia, toto viridis ſub margine buxi,
Criſparique comam, ſummoque cacumine findi
Paulatim incipiunt, folio variata rubenti
Leucoïa inclemens ne vos ah! læſerit aura,
Pro flore egregio & merito pro floris odore:

Et quod non poterit brumam durare, nec imbres.
Hybernos, tristesque minas aquilonis iniquì
Leucoii genus omne, cavis imponere testis
Cura sit, ut rauco si turbidus imbre November
Ingruerit, testæ impositum transferre, sub imam
Possis deinde domum, atque cavis servare sub altis.

Nomen. *Leucojum* vocatur à λευκὸν ἴον, *viola alba*, quia veteribus modo cognitum fuit Leucojum album vel quia flores Violæ ferunt & folia aliquando sunt alba. Septima vulgò dicitur ab Hortulanis *Violette*, secunda species vocatur *flos Keyri*, omnes dicuntur belgice *muerviolette*, *meurbloemen* vel *fleur de daeme.*

Vires. Ex floribus hujus plantæ fit syrupus cephalicus, cardiacus, cæterum magis odore quam virtute commendantur. Secunda tamen species seu Keyri dicta laudatur in menstruis & lochiis pellendis, ejus oleum ex florum infusione paratum est nervinum & discutiens in paralysi & apoplexia; in Italia ad partum facilitandum regioni pubis inungitur hoc oleo.

Hesperis.

Character. Caules rotundi, villosi, medullam habentes; folia alternatim juxta caules disposita, Erucam referentia, sed minus incisa, in margine incisa, acuta, villosa, coloris viridis nigricantis, saporis aliquantulum acris; flores quadrifidi, cruciformes, coloris ali-

aliquando albi aliquando purpurei, aliquando varii, odoris suavis & grati; post florem sequitur siliqua oblonga, tenuis, cylindrica, angulosa, teres, bivalvis, cui plures inhærent foveolæ, in quibus reconduntur utrique semina plerumque rotunda, vel cylindrica, rubicunda, acria; radix parva, alba, lignosa; hæc planta crescit in hortis.

Nomen. Ab Italia, unde veteribus notæ Hesperides veniunt, sed patet nomen esse datum ab ἕσπερος, *vesper*, quia fere omnes vesperi optimè olent, utrumque admitti potest. *Viola Matronalis* vocatur quia Violam refert, & in initio à mulieribus fuit exculta; quinque priores species vulgò *Violæ Damascenæ* dicuntur belgicè *bloemen van damast*, hæ laudantur à suavi odore. Sexta *melancholica* appellatur, quia simulac sol adolescit, perdit fragrantiam, si verò sol ceciderit, tum savem odorem dat, hinc *melancholica* dicitur. Septima est Alliaria officinalis, si manducetur, diffundit virus alliosum per totum os, si majori copia manducetur sudorem allium redolentem elicit, nullaque planta est magis diaphoretica, sudores eliciens, est alexipharmacum summum.

Vires. Hæc planta est antiscorbutica, & diaphoretica, in asthmate, tussi & convulsionibus optima, externè laudatur contra inflammationem, cancrum, gangræam, sphacelum, morbosque contagiosos, contusa maxime putredini resistit, si in peste bubonibus axillaribus imponatur, maturat, & emollit, externè ab *Hildano* summoperè laudatur *in tractatu de igne calido & frigido vel inflammatione, sphacelo & gangræna*, & ipse quoque virtutem in his expertus sum, fuit aliquando studiosus, qui in

via fibulam & tibiam simul non tantum fregerat, sed & contuderat, cum verò Chirurgi huic non tam citò adesse potuerint, hinc crus gangræna occupabatur, tandem Chirurgi accersiti me quoque vocari jusserunt, quia de curâ desperabant, tum hanc herbam cum vino contusam cruri applicui, unde æger perfectè fuit sanatus.

Dentaria.

Character. Folia Quinquefolii, septem in uno latere disposita, oblonga, acuta, dentata, viridia, aspera; flores albi, purpurescentes, cruciformes quadrifidi; post florem sequitur siliqua oblonga, cujus valvæ per maturitatem in helicis formam convolvuntur, magnoque cum impetu semina ejiciunt obrotunda; radix carnosa squammosa ex dentibus quasi squammosis conflata; hæc planta crescit in montibus.

Nomen. Dentaria vocatur à *dente*, quia hujus plantæ radix dentem refert, *heptaphyllos* ex *ἑπτὰ septem* & *φύλλον folium* quasi *planta septem folia habens*, *Coralloides*, quia ejus radix est splendens polita instar coralli.

Raphanistrum.

Character. Caulis ramosus, parvis spinis duris & acutis instructus; folia lanciniata, ampla villosa, in parte superiori integra; flores quadrifidi, cruciformes, albi, punctis cæruleis instructi, flori succedit siliqua longa columnæ instar in fastigium assurgens, in orbiculos distincta, in quorum singulis reconduntur semina

na ſatis craſſa, obrotunda, rubicunda; radix ſimplex, aliquando diviſa, alba, lignoſa; hæc planta creſcit in pratis.

Nomen. Raphaniſtrum vocatur à *Raphano*, quia ejus radix Raphanum minorem refert.

Vires ſunt ut in Raphano.

Cakile.

Character. Folia oblonga, aliquando ampla, aliquando anguſta, craſſa, ſaporis acris; flores Erucam referentes, coloris purpurei. Poſt florem ſequitur fructus haſtæ cuſpidi ſimilis, conſtans duabus partibus, articulatione quadam junctis & ſemine ſingulari oblongo fætis; radix longa & flexilis; hæc planta creſcit in locis maritimis.

Nomen. Cakile eſt *vox arabica*, olim *Eruca* vocabatur non *à forma vel figura plantæ*, *ſed à virtute quæ ei convenit*, *Moriſonus*, uti ſcribit, invenit, quod ſuccus vel aqua ejus ſtillatitia ſit optimum remedium ad renes mucoſos expurgandos, quod ſic videtur, nam ſapor eſt amarus & nitroſus.

Arbores, Frutices, ſuffrutices, Herbæ floro papilionaceo, fructu Siliquoſo, Leguminoſæ dictæ.

Flores ejusmodi dicuntur, quia papilionem expanſis alis repræſentant, folium ſuperius erigitur, reliquiſve majus & latius eſt, vexillum dicitur inferius cymba modo concavum carinæ, quæ verò medium occupat locum, alæ vocantur leguminoſæ à legendo, quia ſiliqua

in usus legi solebat, dividuntur vel respectu foliorum *ab Hermanno*, 1. in singularia, 2. in terna, 3. in pinnata, siliquarum respectu à *Tournefortio* trifariam, 1. in unicapsularem, 2. bicapsularem, 3. in articulatam, respectu tandem motus in scandentes & erectas à *Rajo*. quod tamen correxit *in Methodo plantarum*. *Hermannus* primò in singularia dividit, huc revocatus 1. Siliquastrum, 2. Genista, 3. Spartium, 4. Genista-Spartim, 5. Crotalaria, 6. Genista, 7. Genistella, 8. Nistolia. 2. foliis ternis 1. Cytisus, 2 Anagyris, 3. Phaseolus, 4. Melilotus, 5. Trifolium, 6. Fænum Græcum, 7. Anonis, 8. Medica, 9. Medicago. 3. Foliolis in segmenta divisis, 1. Lotus, 2. Dorycnium, 4. Foliis pinnatis, 1. quæ ad apicem terminantur in folium impar vel non & tum vel in viticulam vel in pinnulam ut in Orobo, ad primum pertinet Pseudoacacia, 2. Colutea, 3 Coronella, 4. Barba Jovis, 2, pinnata folia vesiculas emittunt, 1. Pisum, 2 Lathyrus, 3. Clymenum, 4. Ochrus, 5. Vicia, 6. Lens, 7. Aphaca.

Leguminosæ Monoangiæ folio simplici.

Siliquastrum.

Character. Rami à se invicem distantes, corticem purpureum nigricantem habentes; flores papilionacei ante folia vere erumpentes, leguminosi, purpurei, plures simul juncti, pedunculis brevibus & nigris adhærentes, quinquifidi, ex quibus duo in inferiori parte positi superiores exsuperant magnitudine, quod non ordinariò fit in floribus leguminosis aliarum plan-

plantarum; post florem sequitur siliqua longa, plana, membranacea, purpurea, seminibus reniformibus & duris fæta; folia alterna, rotunda Asarum referentia, sed majora, nervosa, in parte superiori viridia, in inferiori albescentia, alæ vexillo super eminent, hæc arbor crescit in regionibus calidis circa flumina.

Nomen. De illa planta multa fabulantur, quoad nominis originem, sed puto nomen inde datum esse, quia floret tempore cujusdam festi dicti belgice *Louwerfeest*, ex his floribus tentoria exornent.

Genista.

Character. Rami Juncum referentes, rotundi, obsequiosi & virides; folia oblonga, acuta, alterna aut verticillata, ordine disposita; flores papilionacei, leguminosi, flavi, saporis dulcis, flori succedit siliqua plana in duas dehiscens partes, fæta seminibus reniformibus, compressis, fuscis, spendentibus, saporis ex dulci amaricantis nauseosi & ingrati, dum annosa sunt farinacei. Hæc arbuscula crescit in regionibus calidis ut in Gallia & Hispania circa loca maritima; hæc planta Veteribus fuit cognita, nam *Virgilius* canit.

Occupat hic Agros camposque repletque Genista lenta. —— ——

Et *Martialis.*

Non Pyra, quæ lenta pendent religata Genista,

Nomen. *Genista* vocatur à *genu*, quia est planta valde flexilis.

Vires. Conserva paratur ex floribus, quæ ad dragmas duas assumpta vomitum & nauseam excitant, vehementerque purgant, semina recentia quippiam sapiunt nauseosi, unde quoque horum infusum ex aqua fervente factum blandos vomitus movet, ob quos in Arthritide laudantur; flores Genistæ nondum expansi eadem ratione ut cappares condiuntur, & a nephriticis condimenti loco cum fructu usurpantur. Hæc planta est optima in catarrhis, hydrope, urina movenda & mesenterii obstructionibus. Semen externè applicatum scrophulos consumere dicitur. In substantia farinacea seminis latet sal diureticum, quod per incinerationem copiosum eliciter, unde in movenda urina usurpatur. Succi hujus plantæ sunt sapore salso hinc diuretici. Syrupus ejus datur in Hydrope, Rheumatismo & Podagra; cineres hujus plantæ vino albo gallico infusæ conducunt in Hydrope.

Spartium.

Character. Caulis pollicis crassitie, corticem asperum & striatum habens, in multos ramos divisus, germinans juncos tenues, flexiles, folia exigua oblonga in initio habentes, quæ folia floribus apparentibus cadunt; flores leguminosi, exigui, flavi, inodori, pedunculis adhærentes; flori succedit siliqua brevis oblonga aut rotunda turgidula cartilaginea, coloris flavi, rubicundi, fæta semine reniformi, duro, & nigro; radix dura lignosa; hæc planta crescit in regionibus calidis præsertim Hispania.

No-

Nomen. Spartium vocatur à *ſparus aut ſparum*, quia junci hujus plantæ ſparum repræſentant, vel *ſpartium* dicitur græcè à σπάρτον à σπείρεσθαι, *quia ſponte ſeminatur.* Vocatur *Monoſpermum* à μόνος *ſolus* & σπέρμα *ſemen*, quia fructus hujus plantæ unicum ſemen continet.

Geniſta-Spartium.

Character. Siliqua Geniſtæ vel Spartii. Aculeis in totâ plantâ, radix lignoſa, alba, cæterum eidem ſunt characteres ut in prioribus, hæc planta creſcit in locis incultis.

Nomen. Geniſta-ſpartium vocatur, quia Geniſtam & *Spartium* refert.

Vires ſunt eædem ac in Geniſta.

Crotalaria.

Character. Caulis anguloſus, nodoſus, ſe in multos ramos extendens; folia alterna & ſingularia juxta caules ut Geniſta, caulibus brevibus adhærentia, longa, obtuſa, nervoſa, in parte ſuperiori viridia, in inferiori albeſcentia, verrucis inſtructa; flores in ſummitate ramorum in ſpicas congeſti, leguminoſi, Geniſtam referentes, coloris cærulei, flori ſuccedit ſiliqua tumida, inflata, teres, ut Anonidis, nigricans, pilis aliquot inſtructa, continens ſemina exigua, flava, reniformia, ſaporis acris & ingrati, radix lignoſa, albeſcens, fibroſa, hæc planta creſcit in Aſia.

Nomen. Crotalaria vocatur à κρόταλον, *crepitaculum*, quod notat bullas, quæ equis apponuntur belgicè *Narrebelle*, quia ſemina ſic diſplodit & crepitat, vel quia infantes indo-

rum ramis hujus plantæ siliquis instructis utuntur loco bullarum.

Genista.

Prima commendatur in medicina titulo flos Genistæ, flos egregium aureum dat colorem, hinc *Tinctorius* dicitur.

Genistella.

Character. Rami exigui, molles, villosi; folia oblonga, articulatione sibi mutuò innata; flores in summitate exigui, leguminosi, flavi, post florem sequitur siliqua plana ut Genistæ, lanuginosa valde; radix lignosa, longa, in multos ramos divisa, hæc planta crescit in sylvis & montibus.

Nomen. Genistella vocatur quasi *parva Genista*, quia Genistam refert, dicitur *Chamæspartium* à χαμαὶ *humile* & *spartium*, quasi *humile spartium.*

Nissolia.

Character. Omnia sunt ut in Lathyro, sed folia sunt singularia, & claviculis carent, ad Genistæ sagittalis folia accedentia.

Alhagi.

Character. Folia oblonga, Polygonum referentia; flores papilionacei, coloris rubicundi, post florem sequitur siliqua rubicunda; radix longa, coloris purpurei; hæc planta crescit in Persia & Arabia; mane in foliis invenitur

tur manna crassa ejusdem odoris & saporis ac manna optima, sed adveniente sole funditur, in Persia crescit etiam aliud genus mannæ ex Fraxino, quæ calabrina manna dicitur.

Lepidocarpodendron.

Ita vocatur à λεπὶς *squamma* καρπὸς *fructus* & δενδρὸν *arbor* nonnulli *Auream Arborem* vocant, quia lignum colorem aureum habet in Africa; hæ arbores totam Africam occupant, si verò hic unus ramus rumpatur, perit tota planta.

Arbores, frutices, suffrutrices, Papilionaceæ herbæ, Siliquosæ, Monangiæ bivalves.

Leguminosæ, Monoangiæ, Trifoliatæ.

Cytisus.

Character. Caules exigui, lignosi, in multos ramos angulosos, flexiles, & virides se extendentes; folia terna, acuta, villosa; flores papilionacei, leguminosi, coloris flavi, rarò albi; flori succedit siliqua plana, ampla, nigra, villosa, in duas partes dehiscens, fæta seminibus planis & compressis; radix divisa in multos ramos, nervosos, flexiles, flavos; tota planta habet odorem penetrantem & saporem amarum; crescit in locis desertis & montibus.

Nomen. Cytisus vocatur ab *Insula Githiso*, ubi hæc planta magnâ copiâ olim crescebat.

Vires nullæ sunt, modo hortis elegentiæ inserviunt, in Italiæ præbent pabulum luculentum pecudibus & flores ab apibus ibi adamantur. Alpinæ sunt amarissimæ folia, unde pro Anagryde usurpari solent.

Cytiso-Genista.

Character. Folia partim terna partim singularia, omnia ut in Cytiso & Genista, rami flexuosi, hæc arbuscula crescit in Hispania circa arenosa loca, ex seminibus fiunt *brem Cappers.*

Nomen. *Cytiso-Genista* vocatur, quia has plantas refert.

Vires stirpes hujus arbusculæ combusti dant cineres, unde sal educitur; ejus decoctum hydropicis & leucophlegmaticis exhibetur, solvit sanguinem per renes, in doloribus ischiaticis & scrophulis convenit, si Genistæ cineres præscribantur, tum hujus plantæ sumuntur, si sal vel decoctum Genistæ, tum quoque hæc planta adhibetur, ejus sal convenit in Hydrope.

Anagyris.

Character. Hæc Arbuscula est valde ramosa, corticem viridi-fuscum, lignum flavescens aut pallidum habens; folia terna oblonga, acuta, in parte superiori viridia, in inferiori albescentia, odoris adeo fortis & fætidi, ut contusa caput petant; flores flavi papilionacei, cujus vexillum brevius est cæteris petalis; flori succedit siliqua longa, cartilaginosa, Phaseoli siliquæ æmula, fæta seminibus reniformibus, in initio albis, dein purpureis, tandem post ma-

maturitatem cæruleis & nigricantibus; hæc arbuſcula creſcit in regionibus calidis, ubi fætorem, Aſam fætidam ſuperantem excitat,

Vires. Hæc planta in paſſione hyſterica ſimilibuſque morbis maximè commendatur, hinc etiam veteribus fuit commendatiſſima planta, Odor eſt Aſæ fætidæ ſimilis.

Phaſeolus.

Character. Folia terna, ſingulis pedundulis inſidentia, Hederam terreſtrem referentia, ſed molliora, venoſa; flores leguminoſi, papilionacei, albi; flori ſuccedit ſiliqua longa, in acumen deſinens, in initio viridis, poſt maturitatem albeſcens, in duas partes dehiſcens, fæta ſeminibus reniformibus, quæ ſemina Phaſeoli dicuntur, plerumque albi, tamen aliquando inveniuntur nigri, rubicundi, & vario colore inſtructi. Primæ ſunt ex Thracia delatæ, hinc fabæ Tuſcicæ vocantur.

Nomen. Phaſeolus veteribus erat longa navis, qua celeriter iter fiebat per mare, & ſic dicitur, quia ſiliqua talem navem refert, hinc Poeta canit de hac nave.

Et circumpictis vehitur ſua rura phaſelis.

Martialis de eadem canit.

Nec languet æquor: viva ſed quis Ponti
Pictam Phaſelon adjuvante fert aura.

Et *Horatius.*

Veta-

—— Vetabo, qui Cereris sacrum
Vulgarit arcanæ, sub iisdem
Sit trabibus, fragilemque mecum
Solvat Phaselum: —— ——

Hinc Phaseolus fuit navis quam celeberrima uti videtis.

Vires. Siliquæ sunt edules & semina dant crassissimum nutrimentum, hinc conducunt his, qui corpus valde exercent, studentibus verò & quiscentibus obsunt.

Melilotus.

Character. Caules rotundi, striati, excavati, ramosi, flexiles; folia terna, fænum græcum referentia, sed magis alba, in margine crenata; flores exigui, leguminosi, in spicam longam dispositi, coloris flavi, aliquando albi, odoris grati; flori succedit capsula nigricans nuda non recondita in calice ut in Trifolio, fæta uno vel altero semine rotundo, exiguo, pallido; radix longa, exigua, alba, flexilis, fibras multas habens; crescit hæc planta in locis arenosis & siccis.

Nomen. Melilotus vocatur à μέλι *mel* & *lotus* quasi *lotus mellitus* quæ Veteribus fuit planta decantatissima, lotus mellitus fuit dictus quia Apes ex nulla herba plus mellis & magis suaves capiunt, quam ex hac planta, non verò à sapore sic dictum est, nam folia, flores & fructus sunt amari.

Vires. Folia meliloti valent virtute emolliendi & vi aromatica lenissime calefaciendi; flo-

flores virtute aromaticâ & emolliente præditi, hinc internè inter exſpectorantia recenſentur, tamen magis externè adhibentur, emolliunt, diſcutiunt, dolores mitigant, hinc in inflammationibus quibusve præcipue uteri, teſtium, ani, ut & in doloribus nephriticis & podagræ conveniunt. Semina ſunt diſcutientia, aperientia, aromatica, reſolventia; ex floribus oleo immerſis exprimitur oleum & iterum huic oleo novi flores adduntur; hoc aliquoties repetendo fit balſamus Meliloti optimus, nam putredinem arcet, & optime conſolidat, ſi ſemina in formam farinæ reſolvantur, fit inde Emplaſtrum emollientiſſimum & reſolventiſſimum; internè decoctum ſeminum florumque eſt optimum ad emundandas vias, ubi malum à frigore eſt ortum; ſummitates hujus plantæ decoctæ conducunt in inflammationibus inteſtinorem, colica, urinæ retentione rheumatiſmo, præſcribuntur in cataplaſmate, emplaſtris, & fomentis Chamomillæ floribus junguntur. Septima eſt, quæ intelligitur in Officinis, ubi lotus præſcribitur, ſicut etiam Trifolium odoratum, niſi addatur butiminoſum, dicitur Trifolium ſeptem temporum belgicè: *klavere van ſeven geteyen*, & hæc planta forſan ſic dicta eſt, quia ſi hæreas circa hanc plantam, & nullum odorem ſentias, tum aliquando mox odorem diffundit, & dein odor iterum ſtatim deſinit, hacque ratione dicitur ſepties de die facere, & tum crepitum emittere, inde nomen, vires ſunt ut in oleo meliloti ſed longe celebratiores & ſuaviores.

Campho-

Camphora.

Character. Hæc arbor cum juſtè adolevit, valde procera & patula reperitur in Japonia, ut cum Tiliis & Quercubus de magnitudine certet; an autem tantæ ſit latitudinis, ut aliquot hominum millia umbra ſua tegere poſſit unica arbor, dubito, cum auctores recentiores hujus nullam faciant mentionem. Folia habet Lauri inſtar, ſeu, ut quibusdam placet, Cinamomi, minora, ſimplicia, pediculis paululum carinatis tenuibus, palmam ut plurimum longis, per ætatem nonnunquam viridi-rubentibus inſiſtentia, duos transverſos digitos lata, quatuor transverſos tales longa, nullo ſervato ordine hic illic alternatim ſingularia; ex brevi & acuto principio ovata, mucrone longo auguſto, quandoque obtuſo, ad marginem paululum undulata; poſtica herbaceo ſeu cinereo colore prædita, contrita tenuiorem Camphoræ odorem ſpirantia, ejusque ſaporem cum ore communicantia; Nervo uno utrimque paululum prominente gaudentia ex viridi albicante, à pediculo ad apicem porrecto, medium foliorum ſecante, ex quo alii nervi forma & figura varia; ſive arcuata, ſive recta producuntur, quos intercurrunt alii minores & minimi, adeo ut natura valde ludere videatur in protenſione horum nervorum. Inter foliorum alas emittit pediculum duas uncias longum, tenerum, in fine ramoſum, hoc eſt, qui in pediculos diſpeſcitur in ſummitate minores & multos ſuſtinentes floſculos albos, monopetalos, tubuloſos, in quinque & raro in ſex partes diſſectos, minutiſſimos, petalis ova-

tis

tis minus mucronatis præditos, quæ intercurrunt ſtamina brevia apiculata novem, ita diſpoſita, ut terna medium premant ſtylum, quæ cætera in orbem ambiunt intercepta ſingulis tuberculis carnoſis exiguis luteis, molli umbilico laxè adnatis. Florem excipit Bacca per maturitatem atro-purpurea, ſplendens, lignoſa, piſi mediocris magnitudine turbinata quodam modo ſeu globoſa, calyci breviſſimo inſidens, quodam modo oblongo verſis pediculum faſtigato, molli, ſaporis ex Camphora Caryophyllacei, odoris multo quam in foliis fragrantioris petiolo tenero & parvo innitenti. Bacca intus continet nucleum piperis magnitudine corticula nigra-micante obductum, bifidum oleoſum, ſaporis fatui. Hæc arbor longè latèque in ramos brachiatur; Caudicem habet teretem, erectum; Corticem in junioribus arboribus glabrum, lævem, dilutè vireſcentem, nitentem, in adultioribus inæqualem, ſcabrum & verrucoſum, coloris griſei; cujus interior ſuperficies glabra & mucoſa, facileque ab ligno ſeparanda. Lignum quod habet album, per ſiccitatem ad levem rubidinem accedit, ſubſtantiæ laxioris, ex craſſiuſculis fibris compactæ, Juglandis inſtar ſcatificatæ, ſeu ut vocant, undulatæ; per vetuſtatem exaſperatur propter exſiccationem & defectum humoris circulantis & nutritii. Radix valida, parum brachiatâ, Camphoræ odorem præ cæteris partibus ſpirans, & eandem majori in copia præbens. Hæc arbor patrium ſolum agnoſcit Japoniam Occidentalem & adjacentes Inſulas; incredibili copiâ, ut omnem ſuperet expectationem, reperitur in Provincia Satſuma dicta. Majo & Junio floribus onuſta conſpicitur in

Ja-

Japonia; facile in alias regiones transferri, & coli se patitur, his in oris (quod sciam) floribus nunquam felix fuit. Solum amat fæcundum modicè irriguum, sole & aura calidiore illustratum. Hyemali tempore hybernaculum requirit.

Nomen. *Caphura* & *Camphora* latinis, Arabibus *Capur* & *Cafur* audit, hæc varia Arabum pronunciatio desumitur ex frequenti illorum confusione & affinitate circa litteram P. & F. sed hæc pronunciatio est manca, nam nullum P. nec ullum F. in usu est, sed tantum φε, quod in πε mutatur inventu Puncti duri Tesdit dicti; unde latini Camphoram fecerunt interponendo consonantem M. forsan ad meliorem sonum, pro ut id sæpe solent, præsertim Arabes, qui plerumque consonantem M. interjiciunt, ubi punctum Tesdid occurrit; unde hæc vox originem ducat, non clarè demonstratur; plurimi volunt esse vocem hebraicam quæ in primâ conjugatione notat *pice obducere*, non propriè pice nostra dicta, sed materia quadam glutinosa, in secunda conjugatione *expiare & expiationem facere*; unde nonnulli hanc esse Copher, cujus mentio fit in Cantico Salomonis: ubi volunt esse vocabulum Indicum, & tamen à verbo *Caphar* descendere, quod ob lentorem & tenacitatem in compingendis, glutinandis, & oblinendis navium tabulis aut tignis, lapidibusque ædificiorum magnus ejus fuerit usus. Vocatur hæc arbor *Camphora* officinarum seu Camphorifera Japonica.

Vires. Ex hac Arbore fit camphora Officinarum vera, quæ verò sequenti modo oritur, India Orientalis duplicem suppeditat Caphuram,

ram, quarum altera in Japonia, & maximè ejus Auſtrali parte Satzuma dicta, altera in inſula Borneo, quæ tamen mediocri copia in Japoniam defertur, provenit. Prior ex arboris radice hoc ratione elicitur, ipſam in fruſtulam conciſam imponunt amplis ſartaginibus, moderatum lentumque ignem ſubdunt, modicumque aquæ radici ſuperfundunt, & unamquamque ſartaginem capitello, ut vocant, è viminibus inſtar alveariis contexto, ſedulò tegunt, cujus ſuperficies ad inſtar ſtoreæ dictæ glabra, interior autem facies propter filamenta ſtraminea, paulo hirſutior eſt; quo facto è radicibus in altum propellitur, vulgo ſublimatur, Caphura, ſtramineiſque filamentis adhæret & refrigerata, quando candorem contraxit, eximitur. Hæc eſt illa quæ ubique in pharmacopoliis proſtat; vel hoc modo fit, truncus, rami & folia fiſſa conjiciuntur in Ahenum, cui imponitur capitellum ſeu conus ex ſtramine, qui uſitatior, vel ſtoreis, vi ſubſtrati ignis, quidquid volatile eſt, expellitur, & lateribus coni (qui viciſſim aufertur, ut Camphora inde eximi poſſit, ac rurſum imponitur) ſe applicat, quæ dum levis inſtar fuliginis decidit, quæ dein in maſſam cogitur & ad nos transfertur. Ruſticorum opus eſt in Provincia Satzuma & inſulis Gotho, qui radices & ligna in feſtucas comminuta, cum affuſa aqua coquunt in veſica ferrea, impoſitoque capitello fictili amplo & ne ex vapore rumpat roſtrato, ſublimatam reſinam excipiunt, ſtramini, quod capitellum replebat adhærentem. Hæcque eſt illa quæ Japonenſis, Chinenſis & Artificialis nomine ſalutatur, quam Japonenſes maximè vilipendunt, cum niſi noſtri mercatores

res in subsequentem annum aliquam copiam ab ipsis requirant, illi nihil præparent. Altera species est, quæ in insula Zeylon conficitur, paratur ex radice seu cortice radicis Cinnamoni, hic nempe separatur à materia lignea, immittitur Vesicæ instructæ suo capitello, vase serpentino & recipiente, affunditur aqua & destillatur, hinc obtinetur primo aqua, secundò oleum & tertio oleo supernatans Camphora, quæ manuum expressione ab oleo optimè separatur; & hoc obtinet in omnibus Canellæ speciebus. Aliud genus Camphoræ ex Radice Galangæ & Zedoariæ recenti, variisque Indiæ Orientalis plantis elicitur eadem methodo superius descripta, nam radix Zedoariæ suo sale volatili destituta cum ad nos adfertur, optime Camphoram olet, hac ratione ex quadam Menthæ specie Camphoram elicui; plerumque ex omni vegetabilum sublimatione flores adscendunt oblongi & quasi hastati, materia verò, quæ ex hac operatione ascendit, est cubica & quasi granulata; multis angulis prædita, granorum milii magnitudinem excedens, Camphoræ Crudæ non raphinatæ seu non purgatæ nomine occurrens; alii Auctores dicunt, quod Incolæ ejus loci, ubi hæ arbores crescunt, arbores incidunt, ex quibus postea exit Gummi album, quod reperitur in terra juxta arborem, sub forma parvorum trochiscorum, qui postea transportantur in Bataviam, ut ubi rafinentur. Gummi hoc tale quale ex arbore immediatè provenit, appellatur Camphora Bruta, quæ ut qualitates habeat requisitas, debet reperiri in frustulis friabilibus; si verò adhuc sit in granis, debet esse instar salis albi, odoris fragrantissimi; quò siccior est & minus sal-

ſa, eo melior; alii ſunt, qui referunt, huic arbori deſcindi ramum ſuperiorem, ne nimium & arbor emoriatur, ex quo rivuli inſtar effluit liquor, qui ligneis vaſis excipitur, ac temporis tractu coagulatur & indureſcit, qui deinceps lucri gratia multa farragine piperis adulteratur, unde depuratione Camphora, pro ut ex India advehitur, pro rafinatione contunditur, cribroque à ſordibus & fæcibus admixtis purgatur; hâc ad quaſdam libras repletur vas vitreum lagenas noſtras vinarias referens, ſed magis depreſſum callo mediocri inſtructum, cujus fundus non in conum aſcendit, ſed aqualis eſt. Hoc modicè Camphorâ repletum ſupper ponitur arenæ eodem modo ut in omni ſublimatione fit, ſed leviter tantum imponitur arenæ non ſepelitur. Inſtrumentum quod arenæ excipit non habet fundum æqualem, ſed ſenſim in conum deſcendit, cui ſubſternitur fortior ignis, qui eſt continuandus ad tres quatuorve horas, uſquè dum Camphora aquæ inſtar coquatur & ebulliat; cum liquida ejusdem aquæ ad inſtar fluere incipit, ſuperficiei vaſis imponuntur multi panni ſibi ſuppoſiti & conſuti ſcobis inſtar nauticæ, in medio foraminati pro collo vaſis, cui dein ſuperponitur conus ex blito confectus collo vitri paulo longior. Cum tota liquata eſt Camphora & maximè ebullit, ſubtrahitur medius ignis, cujus alteram partem cinere quaſi conditur, ut calorem modicum tantum edere poſſit. Poſt ebullitionis remittentis binos quadrantes auferuntur omnes panni ac conus qui interdum quoſdam flores continent interdum nullos, ac charta emporetica diametro vaſis reſpondens in medio foraminata imponitur vaſi; ne externus aër nimium

mium refrigeret, ut Camphora coagulare possit; collum vasis cono operitur Chartaceo, & sic ea in fluore servatur per aliquot horas modicum ignis gradum conservando. Hic est annotandum, quod, si flores in supremo vasis colligantur, eos instrumento quocunque removeant, ut iterum cum Caphura liquefiant. Cum per aliquot horas sic se habuit novus & fortis supponitur ignis per multas horas conservandus, donec Camphora superiorem vasis petit superficiem, quo momento maxima utuntur cautela Artifices, ne Camphora collum vasis repleat, ac sic disrumpat, quare semper intrudunt instrumentum ex ferro sive ligno confectum, ut collum apertum servent, & sic cum Camphora omnis altum petiit, auferunt totum ignem & refrigerare sinunt: si quæ adfuerint fæces, eæ in fundo conspiciuntur. Tunc rupto vase habent Camphoram depuratam seu rafinatam, qualem ubique in Pharmacopolis habemus massas seu panes orbiculares referentem, eamque à sordidis, siquæ sint superficiebus ope cultri purgent scindendo, non radendo, ut panes habent candidissimos & maxime albos. Hac ratione totum absolvitur arcanum, quod olim Veneti nunc Amstelodamenses exercebant. Posterior Camphora, quæ melioris notæ & rarior est, ea in Burneo insula ab arbore ubi *Liono* dicta profertur, quæ arbor minor graciliorque est altera, quæ interdum vastum quercum æquat ejusque trunci diameter septem præter propter digitorum longitudinem obtinet; ipsa quo fungosa est, medullæ Sambuci non valde absimilis, truncus sicuti arundo variis nodis distinguitur, illamque arborem quæ Pinax dicitur, æmu-

æmulatur. Huic *Lioni* Arbori tunc temporis cum Caphura abundare & quasi turgere norunt, sub ortum solis aurem applicant & notatu dignum strepitum percipiunt, dein ipsam amputatam in partes dissecant, quas findunt, solique ut exsiccentur, exponunt, siccatos in particulas comminuunt, & Caphuræ frustula eximunt, cribroque à sordibus purgant. Si majuscula frustula offenderint, iis oculos leniter & leviter confricare solent; Hæc autem plurimum à priori distat, pretioque illam nimium quantum superat, magisque clarè & perspicua est, nec ullo modo, ut alia sponte evanescit, & consumitur, quum si ℔ 100 hujus aperto aëri exponantur, intra sexennium vix ℔ VI. perdet, cum contra Japonensis seu Chinensis dicta intra ullud temporis spatium tota in auras dissipabitur. Camphora reperitur in hac arbore sub formâ minutissimarum lamellarum lenticularium, quæ unicæ Indis vocantur, in copiâ sat rarâ, cum duæ vel tres arbores cæsæ vix uncias duas vel tres suppeditent, unde caro venditur pretio, ut in Japonia libra una constet centum florenis; tamen si incolæ arte distilatoriâ callerent, sine dubio majorem quantitatem inde colligi possent, quia lignum hujus arboris transversum discissum multum pinguedinis ostendit. Adulteratur hæc Borneënsis sævo, Mastiche, minutissimis lapidum fragmentis aut Gummate Chamderros vocato vel ligni cujusdam scobe etiam farina, nec non intermiscent Camphoram chinensem, solummodo ut in pondere lucrentur; hæc fraus facilè detegitur, si Camphora in panno lineo colligata in calidam demittitur aquam, addito sapone & limonum succo,

dein probe elotam in umbra ficcant, & multo candidior redditur, pondere non multum imminuto, Champhora Officinarum Chinensis vulgò dicitur, licet nulla in chinia inveniatur, eò quod ab his olim ad nos tantum profecta fit. Camphora eft fubftantia refinofa, levis candidiffima, facie falis, vel nivis, pinguis & oleofa, adeo combuftilis, ut in fuperficie aquarum flammam dans tota confumitur, ignis vi fublimata ex ligno Arboris Camphoriferæ Japonenfis & compacta in glebas, faporis acris, aromatici, amaricantis, pinguis & lenti, odoris gravis & fragrantis & adeo volatilis, ut ejus odorem vix fervari poffit, nifi in loco valde claufo. Notæ bonitatis confiftunt in colore candicante, minus maculato, friabilitate pinguedinem feu fmegma quoddam cum digitis communicante; odore fragranti facile fe difpergente ac evanefcente, inflammabilitate nullas fæces poft fe relinquente, ac denique in totius fublimatione, unde *Otho Cremonenfis* characterifticas ejus notas fequentibus verficulis comprehendit, licet non admodum exactè.

Camphora candori nivis æmula, fuavis odore
Lucida fulgenti, candens fiet hæc tibi menti.

Camphoram gummi non effe, ut crediderunt Veteres, fatisclarè demonftrant viri docti, fed refinofæ eam effe naturæ, quæ fecundum Chemicorum Dogma ea dicitur, quæ nunquam folutionem plenariam admittit in aquâ communi, fed in fpiritibus oleofis, non in meris acidis fpiritibus, prout experientia ipfa teftatur; pinguem & oleofam effe non multis opus habeo, ut probem; manus enim fricantis

tis ſemper conſpurcat oleagine quadam, & hoc probat ſequens experimentum, mediante quo Camphora brevi tempore in oleaginum liquorem reduci poteſt. ℞. Camphoræ dagmam unam Spiritus nitri fortiſſimi dragmas duas vel tres. M. ſtent in levi calore, ſic Camphora tota abit in oleaginum liquorem ſupernatantium ſpiritui nitri, & ſi hic oleagineus liquor à ſpiritu ſeparetur, iterato coagulat & temporis tractu abit iu Camphoram ſolidam, eodem modo ut Oleum Camphoræ dictum ex radice Cinnamomi in India deſtillatum abit temporis tractu partim in Camphoram ſolidam cryſtallinam plane & pellucidam quæ nulla artis ope in oleum eſſentiale converti poteſt, inflammabilem eſſe demonſtrat ejus injectio ſuper prunam magnam multamque albicantem flammam edentis, quam & ita ſe extendere affirmant, ut eam aquis injecta etiam exerceat. Eandem etiam demonſtrant magici uſus. Tota deflagrat abſque ulla Camphoræ remanentia, ſi non ſit adulterata; & in hoc conſiſtit proba, ut ex remanentibus quibusdam ſordibus commiſſum patefiat adulterium: propriam ſibi habet, quod accenſa copiam præbeat fuliginem, eamque maximè atram. Quamvis autem Auctores affirment breviſſimo temporis tractu eam in auras evehi, experientia tamen falſum docuit, prout teſtetur *Bartholinus*, qui recipit duo vitra Camphoram continentia, unum ſigillo Hermetico armavit, alterum tamen cera obthuravit, ex neutro poſt triennium obſervavit defectum, quod & rafinatores affirmant, qui aquæ acceſſum ipſi non multum nocere perſuadere conantur. Nonnulli recentiores Camphoram frigidam ſtatuunt, di-

cunt enim quod solo suo odore libidinem venerean arceat, ex sequenti versiculo.

Camphora per nares castrat odore mares.

Rationem sui asserti adferentes, quod spiritus inspissat & corpus refrigerat, verum falsitatem hujus argumenti experimentum & ipsi effectus demonstrant, cum illi, qui Camphoram tractant per totam fere vitam victus quæsitandi causa, nullam prolem generare possent, sed contrarium probant illi, qui hodie adhucdum & ab aliquot annis se exercuere in Camphoræ rafinatione; hi æque ut alii prole sua beati existunt, sic ut eorum observationes ex falsa hypothesi ortæ videantur, quia certò præsuppoluerunt Camphoram esse frigidam, unde nonnulli (ut castitatis cultores videantur præsertim Monachi) in usu fuit Camphoram quotidie masticare, sed id solent facere magis pro incentivo libidinis, quam pro extinctione Veneris, ut castitatem suam tueantur. Verum concessa ejus frigiditate, an ex ea tantummodo lue quadam morbosa partes genitales afficeret, intacto reliquo corpore, cur tunc omnia frigida non ederent tales effectus? sic stanni & plumbi venenatissimi vapores infæcundos reddunt homines, non tamen præ frigiditate, nec intactis reliquis corporis partibus. Ulterius si hic effectus dependeat à frigiditate, quomodo ea, quæ calida sunt, hoc efficere possent, ut quidam referunt, quod Agnus Castus & Ruta venereos motus compescant, cum non sint frigidæ sed calidæ; an autem & hanc vim possideant, dubito tamen facile concedam, quod nimius usus Camphoræ machinam

nam destruat, & per consequens vim vitæ in generationi dicatis partibus tollat; prout optimum Medicamentum non suo tempore vel nimia quantitate assumptum venenosum & lethiferum sæpius effectum edit; sed tamen inde concludi nequit, quod illud Medicamentum alioqui optimum & salutare, venenum sit, sed omne nimium malum. Hæc resina est valde penetrantissima, calefaciens, putredini resistens omnia insecta fugans, nam pediculi & pulices ab hac abhorrent, est sudoriferum & anodynum universale, hinc convenit in deliriis, melancholia, peste, passione hysterica, motibus convulsivis, gonorrhæa, febribus malignis tam continuis quam intermittentibus sic in febre acuta cum alvi fluxu, contra febrem frigidissimam ante insultum febrilem quatuor pilulæ è camphorâ paratæ deglutiendæ sunt; spiritus vini Camphorati est optimum remedium in gangræna & gargarismatibus Antiscorbuticis, ingreditur hæc Resina multas compositiones, & est Errhinorum mitigatrix & correctrix, maximè ubi ea adhibentur vel sub forma vaporum vel fumorum, præsertim ubi moderatus valde requiritur actus; blandè enim titillat nervos & resina sua volatili blanda leniter incidit, & attenuat pituitam hærentem. Bechicis & vulneratis pro stimulo inservit & correctrice ut & puris malignam qualitatem maximè corrigit, ejusque acredinem mitigat & compescit; carminatorum hoc est flatus discutientium stimulus est, præcipuè talium, quæ particulis oleosis tenuibus & spirituosis salinis prædita sunt, quos vi sua resinosa volatili ad majorem actum stimulat, easque Anodyna impertitur, impediendo simul nimias

tensiones & inflammationes. Diaphoretica optima est præsertim ubi ea insensibili quodam modo procedens requiritur, nec ex sensu nimis aucto noxia producantur symptomata, ut Vigiliæ, Convulsiones, Jactationes, & cætera delassantia opera. Hinc simul tanquam antidoton & alexipharmacum consideratur malignis corporum figuras corrigens, & ad faciliorem expulsionem cogens, cum plerisque resinis commune habet, quod lentorem viscosum prohibeat, incidit enim, attenuat & resolvit, acidumque omne ferox mortificat & involvit. Denique possidet vires maximas conservandi omnia à putredine, & contra omnes aëris injurias defendendi, qui mediante hoc corpora à putredine immunia conservando queunt.

Trifolium.

Character. Caules ramosi, recti, lanuginem albam habentes; folia terna raro quaterna aut quina, obrotunda, acuta, villosa, lanuginosa, albescentia; flores exigui, albi, papilionacei, simul cum ovario vaginâ fimbriatâ obvoluti, in spicam congesti; Ovarium fit capsula calice recondita, & fæta semine ut plurimum reniformi, rubicundo, per maturitatem arctè adhærenti ad capsulam; radix parva, fibrosa, tortuosa, lignosa, alba; hæc planta crescit in pratis; hæ plantæ in duas species dividi possunt, 1. in Lagopos, & 2. trifolia, 1. quias spicas habent molles & lanuginosas.

Nomen. Trifolium vocatur *à ternis foliis*, dicitur etiam *Lagopus* à λαγὼς *lepus*, & πȣ̃ς, *pes*, quasi

quasi *pes leporis*, quia summitates hujus plantæ ferunt spicas, quæ pedem Leporis referunt;

Vires. Hæc planta uberrimum pabulum dat armentis, imprimis septima, octava & nonæ, & multo melius quam gramen, & armenta hinc longe fortiora fiunt, quia in ventriculo diutius hæret. Vigesima quarta & quinta Bituminosæ vocantur, quia speciem bituminis Judaici odore referunt, unde per infusionem oleum colligitur penetrantissimum.

Fœnum Græcum.

Character. Caulis tenuis, excavatus, in ramos divisus; folia terna, exigua aliquando ampla, aut obrotunda, dentata; flores ex foliorum alis erumpentes, leguminosi, exigui, albi; flori succedit siliqua plana, acuta, corniformis, fæta plerumque seminibus Rhomboïdiformibus aut reniformibus, ab angulo ad angulum lineâ cavâ notatis, saporis mucilaginosi, odòris jucundi cum quadam gravedine; radix simplex, lignosa.

Nomen. Fœnum Græcum id est *fœnum Græciæ,* ita dicitur, quia hæc planta siccata fœnum refert, & semina ex Græcia fuerunt delata. *Buceras* vocatur à *βȣ̃ς*, *bos* & *κέρας*, *cornu*, quasi *cornu bovis* à *siliquæ figura*; *Ægroceras*, ab *αἴξ αἴγος*, *capra*, & *κέρας cornu* quasi *cornu capræ*, ob eandem causam.

Vires ut in Meliloto, nisi minus aromaticæ & minus calefacientes, hinc farina seminis tantum nomen meruit ad maturandam suppurationem, semina matura contusa in farinam dant aliquod viscidum, masticatum verò aro-

maticum, quod in Chirurgia in omnibus cataplasmatibus, ubi emolliendum, modicè calefaciendum, suppurandum, gangrænosa & mortua fragmenta carnis separanda cum aqua vel aceto & oleo coctum varia proportione in formam Cataplasmatis redigitur, usus etiam est in clysteribus anodynis, ut in colica & doloribus ischiaticis.

Anonis.

Character. Caulis tenuis, rotundus, lignosus, villosus, rubicundus, spinis longis & duris instructus; folia oblonga, nigricantia, villosa, glutinosa, dentata, odoris ingrati, saporis leguminosi; flores leguminosi, purpurei, raro albi; flori succedit siliqua turgens, longior breviorve bivalvis, instar vesiculæ inflata, in qua hærent semina reniformia; radix longa, lignosa, fibrosa, alba, repens, fractu contumax, saporis & odoris nullius, hæc planta crescit in pratis.

Nomen. Anonis vel *Ononis* vocatur ab ὄνος *Asinus*, quia Asini dicuntur se scabere ad hanc plantam, inde belgicè dicitur *Eselkruyt* & *stalkruyt*, quia boves quiescunt, quando mingunt, & hoc vocant belgicè *stallen*, vocatur etiam *Resta bovis* & *remora aratri*, boves enim si cum aratro ad hujus radices perveniant, stare debent, quia adeo terræ sunt radicatæ unde *Rapinus* canit.

——— ——— *& quæ radice tenaci*
Luctantes plaustro tauros cunctatur Ononis,
Molle rubens, tardis, sed formidata bubulcis.

Vires.

Vires. Semina matura & radix martii fine effossa renibus adscribuntur, sapor est saponaceus & penetrans, ea ergo vi decoctum movet urinam, incidit pituitam, unde ad expurgandos renes Icterum, uterum & contra morbos frigidos pectoris laudatur; radices sunt inter radices diureticas, folia inter Emollientia, semina fortissimè aperiunt ut in Meliloto, præter virtutem diureticam habet radix quoque vim absorbentem & absumentem sarcocelen & ramices carnosas; folia & radices conducunt in forma gargarismatis pro scorbuto.

Medica.

Character. Caules rotundi, recti, crassi, duri, robusti, ramosi, præsertim in summitate; folia terna; flores leguminosi, coloris purpurei; fructus siliquosus instar cornu arietini intortus, semina reniformia, albescentia; radix longa, lignosa, mediocriter crassa, recta, gelu resistens, distinguimus has plantas in tres species, 1. cornutas, 2. falcatas, 3. cochleatas, 1. cornutæ siliquæ habent siliquam instar cornu involutam, 2. siliquam plane intortam in formam falcis messoriæ *Tournefortio* dicitur *medicago* 3. siliqua est miro modo circumvoluta & refert cochlearium intus quatuor semina continet.

Nomen. *Medica* vocatur à *Media* ut ait *Plinius* quia cum *Darius Histaspis* bellum intulit græcis, tum habuit secum multos saccos pro pabulo armentorum hoc semine repletos, hinc semina in Græcia sparsa sunt; hæc planta multum in Gallia colitur, & inde fit fænum burgundicum dictum, quod replet & magis nutrit,

 quam

quam duplo plus graminis, & armenta inde fiunt valde plethorici, ita ut ſapius Miſſio ſanguinis requiratur.

Leguminoſæ Monoangiæ Pentaphyllæ.

Dorycnium.

Character. Folia in quinque ſegmenta ad pedunculum uſque ita ſecta ut quinquefolia appareant, lanuginoſa, alba, ſaporis adſtringentis; flores in ſummitate ramorum creſcentes, leguminoſi, coloris albi; ſiliqua brevis monoſpermos, ut in Barba Jovis; radix eſt ſatis craſſa, dura, lignoſa, extus nigra, intus alba, hæc planta creſcit in regionibus calidis.

Lotus.

Character. Caules exigui; folia terna ad exortum pediculi binis alis aut foliolis ſtipata, quibus infernè bina minora ſuçcinguntur auriculata, ſaporis adſtringentis; flores in umbellam congeſti, leguminoſi, flavi, aliquando virideſcentes, Geniſtam referentes; Ovarium fit ſiliqua, interdum ſeptis transverſim poſitis, velut in loculamenta diſtincta, fæta ſeminibus ut plurimum ſubrotundis; radix lignoſa, diviſa, longa, nigra, fibroſa, repens, ſaporis adſtringentis ſubdulcis: hæc planta creſcit in pratis.

Nomen eſt antiquum, nam apud *Homerum* jam invenitur, & de eo phraſis quodam veſcitur loto, & dicebant Veteres de ea planta, quód ſi aliquis de hac herba guſtaſſet, omnia poſtea obliviſcebat, unde *Ovidius* canit.

Sic

Sic nova Dulichio lotos gustata palato,
Illo, quo nocuit, grata sapore fuit.
Sentit amans sua damna fere; tamen hæret in illis.
Materiam culpæ persequiturque suæ.

Sed hoc Lotum non esse novimus.

Vires. Hæ plantæ contra Hæmorrhoïdes laudantur, si folia contrita applicentur, emollit enim ac laxat, hinc Chirurgi ad emolliendum & laxandum & maturandum utuntur, quemadmodum Malva; prima vel secunda est edulis & Pisum fert, quod dat optimum cibum.

Arbores, Frutices, Suffrutices, Herbæ Papilionaceæ, Polyphyllæ plerumque.

Foliis conjugatis costæ adnatis, desinenti vel in Apiculum, Viticulum-ve, vel folio uno impari extremum claudente.

Pseudo-acacia.

Character. Folia oblonga, terna, conjugata; flores albi longi leguminosi papilionacei odoris dulcis & grati ex cujus calice ovarium, membranâ fimbriatâ obvolutum; id abit in siliquam planam, in duas partes dehiscentem, fætam seminibus reniformibus; hæc arbor crescit in America.

Nomen. Pseudo-acacia vocatur à ψεῦδος *falsum* & *Acacia*, quasi *falsa acacia.*

Vires. Folia cocta & expressa purgant *teste Robino* uti Senna alii laudant ad roborandum &

refrigerandum, exhibetur in Dysenteria, verum magnos dolores & flatus facit.

Colutea.

Character. Folia novem aut undecim uni costæ adhærentia, Sennam referentia, sed majora, molliora, & magis subrotunda, obtusa, in superiori parte polita, & magis viridia quam Sennæ, albsecentia & villosa in inferiori parte, saporis amari; flores leguminosi, coloris flavi, in spicam congesti; flori succedit siliqua membranosa instar vesicæ inflata, polita, plerumque rubicunda, in duas partes dehiscens, continens semina reniformia, flava, post maturitatem fere nigra, saporis Pisi; lignum hujus arboris est excavatum ut Sambuci, sed durius & non ita medullosum, corticem cinereum in parte superiori, in inferiori verò viridem habens.

Vires. Prima vocatur *Pseudo-senna* id est *Senna Europæa*, quia folia Sennæ officinalia sunt, idem faciunt ac Senna, nisi quod plus dein alvum stipent, ut alias quoque Senna facit, si unciæ duæ vel tres sumantur, æquè purgat ac Senna, rusitici ut plurimum usurpare solent, verum quoque huic Senna ut Sennæ genuinæ ad saporem evitandum addi debet Scrophularia radice fibrosa, & ad tormina tollenda Cinnamomum vel semen Anisi, tum æquè prodest ac Senna, quare Senna pauperum audit.

Barba Jovis.

Character. Caulis durus, lignosus, corticem lanuginosum album habens; folia bina, villo-

villosa, splendentia, coloris argenti; flores in summitate crescentes, exigui, leguminosi, Genistam referentes; post florem sequitur siliqua brevis, ovata, fœta semine subrotundo; hæc arbuscula crescit in montibus & locis saxosis circa mare.

Nomen. Barba Jovis dicitur à prima, quæ Jovis barbam depingit, ut in nummis videre est tripartita, & sic folia conveniunt.

Pisum.

Character. Caules longi, cavi, fistulosi infimi fragiles, coloris viridis albescentis, ramosi, repentes; folia oblonga à caule quasi penetrata, cætera pinnata, costis apposita; flores leguminosi albi, punctis purpureis instructi; flori succedit siliqua longa, inflata, cylindrica, fœta seminibus subrotundis, viridibus; sed post siccitatem angulosis, albis aut florescentibus; radix parva Pisum primò distinguitur à magnitudine, secundò colore, tertiò figura, ob seminis similitudinem huc refertur, hæc planta umbram facit ingentem.

Nomen. Pisum vocatur à *πίσε* vel *πίσεν cecidit*, quia si Pisum non substineatur, cadit in terram, nonnulli nomen derivare volunt *ab urbe Pisis*, ubi hæc planta olim magnâ copiâ crescebat.

Vires sunt in cortice vel in fructu eduli, in cortice omnis vis est exhilarans & in luxuriem excitans, fructus farinæ gaudet nutrimento, & convenit cum fænu græco, nimis emollit, quia nullum aroma inest, hinc in inflammatione egregium est, viridia pisa habent facultatem nutriendi & in venerem exci-

tandi ita ut Equiſones ad equos ad labores excitandos his utantur.

Lathyrus.

Character. Caules flexiles, repentes in multos ramos diviſi compreſſi, coſtâ elatâ margine foliato; folia bina tantum conjugata ad nervum in claviculas abeuntem, oblonga, acuta, anguſta; flores leguminoſi, albi; Ovarium vaginâ membraneâ tectum fit ſiliqua teres, compreſſa, alba, fæta ſemine modo cylindraceo, modo anguloſo, internè coloris flavi; radix exigua & fibroſa, hæc planta inſervit ornamentis hortorum.

Vires. Semina Piſi ſeminibus quam ſimillima ſunt, hinc inter edulia recenſentur, ut piſa, *Plinius* dicit, quod pro nutrimento commendentur, ſed habent aliquid glutinis, quod ventrem obſtipat.

Clymenum.

Character. Omnia ſimillima ſunt Lathyro; niſi folia plurima uni coſtæ adnaſcantur, non modo duo ſed aliquando quatuor ſex vel octo ad eundem exortum.

Nomen. *Clymenum* vocatur à κυλίω *volvo*, quia rami hujus plantæ omnia amplectuntur & circumvolvunt.

Ochrus.

Character. Caules anguloſi, flexiles, repentes, folia oblonga articulata, modo ſimplicia modo conjugata in claviculam abeuntia; flores

ex

ex foliorum alis erumpentes, pedunculis brevibus adhærentes, leguminosi, albi; flori succedit siliqua rotunda & cylindrica, sed in superiori parte connata, recondens semina cylindrica, Pisi minoris magnitudine, coloris obscuri flavi; radix est fibrosa; hæc planta crescit in pratis. Semina sunt edulia, chylum viscidum parientia, non laudatur præterea quod de Lathyris dixi.

Vicia.

Character. Caules angulosi, villosi, excavati; folia oblonga, angusta, villosa, multa, pinnata, bina fere conjugata ad costam in claviculam abeuntem; flores leguminosi, purpurei aut cærulei; flori succedit siliqua villosa, fæta seminibus subrotundis aut angulatis, nigris; hæ plantæ dividuntur in Vicias dictas & croteas, viciæ dicuntur, quarum siliquæ erectæ sunt, croceæ quando dependent, tum quia sparsis floribus sunt vel in capitulo congestis priores viciæ, posteriores multifloræ dicuntur.

Nomen. *Vicia* dicitur à *vincire*, quia omnibus retinaculis firmiter adhæret belgicè vocatur *Fitse*.

Vires. Hæc planta dat bonum pabulum armentis, habet fabas quam pro Avena & Herba pro gramine inservit; homines quoque collegerunt fabas in magnâ penuriâ, nec se inde male habuerunt, farina ex seminibus est, ut farina seminis fænugræci.

Lens

Lens.

Character. Caules satis crassi, angulosi, villosi, ramosi, flexiles in terram cadentes, nisi sustineantur; folia oblonga, conjugata, uni costæ adnata, desinenti in viticulum; flores ex alis foliorum erumpentes, leguminosi, albi; flori succedit siliqua brevis, parva, compressa, fata seminibus orbiculatis utrimque convexis, compressis, duris, politis, coloris albi aut flavescentis, rubicundi, aut nigricantis, radix exigua, alba, fibrosa; hæc planta crescit in locis aridis.

Nomen. Lens dicitur à *lenis*, quia olim dicebantur illi qui hæc semina comedebant, esse lenis temperiei.

Vires. Semina exsiccata & contrita valent ut Pisa ad inflammationes ad suppurationes deducendas; quæ rubent, tument & dolent, est herba memoratissima, ex seminibus fit farina, ut de Fœnu-Græco dixi, & dein fabas habet edules. Lenticulæ leviter decoctæ alvum movent, sed è contrario si fortiter decoquantur tum in lienteria prosunt, aqua ex lenticulis leviter decoctis est optima ad variolarum pustulas lavandas, quando ad suppurationem devenerunt, *Martialis* de hac planta canit.

Accipe Niliacam, Pelusia munera, lentem:
Vilior est Alicâ, carior illa fabâ.

Aphaca.

Character. Folia triangulari, integra ex adverso bina ex nodis caulium, ex alis prodeunt cla-

claviculæ; siliqua fæta seminibus subrotundis; radix annua, fibrosa.

Nomen. *Aphaca* vocatur ex à *privativo* & φακὴ *lens*, quasi *lenti similis*.

Faba.

Character. Caules firmi, quadrati, excavati; folia obrotunda, oblonga, crassa, pinnata, bina velut conjugata ad costam, quæ in mucronem abit; flores leguminosi, oblongi, coloris aliquando albi striis nigris instructi aliquando purpurei, nigricantis; flori succedit siliqua longa, crassa, carnosa, unicapsularis, fæta seminibus reniformibus oblongis, elatis vel ovalibus, coloris varii plerumque albi, radix longa, partim recta, & partim repens, fibrosa.

Nomen. *Faba* vocatur à φαγεῖν *comedere*, quia ejus semen valde comeditur.

Vires. Hæc planta recipitur in Medicina, nam ejus prima erumpentia folia dant mollissimum nutrimentum, si jusculo incoquantur hæc, tum valde emollit; herbæ combustæ cineres laudantur contra calculum & dicunt, si dragma una infundatur in libra una vini & mane ab ægro assumatur, inde calculum frangi; *Helmontius* & *Paracelsus* dixerunt, quærite, cur fabæ habeant semina reniformia; quia solum renibus inservit, sal ex stipitibus combustis elicitus eundem in finem summopere laudatur, qui tamen non plus facit reliqua omnibus simili modo paratis, aquam destillatam ex floribus adamant Domicellæ ad consiliandam sibi pulchritudinem & vitiligines ac maculas faciei detergendas; aquam per vesicam ex tota planta

ta destillatam plurimæ germanicæ familiæ ad lythiasin pro arcano habent, qua aqua *Gesnerus* fide dignus Auctor dicit se calculum sub-tulisse puellæ. Fabæ insomnia turbulenta & venerem excitant, *Pythagoras* has suas discipulis prohibuit, qua de re *Horatius* canit.

O quando faba Pythagoræ cognata, simulque
Uncta satis pingui ponentur oluscula lardo?

Ejus farina est absterſoria, unde cosmeticum summum, ob quam causam *Martialis* canit.

Aut tegitur pingui terque quaterque fabâ.

Et alio loco de eadem planta canit.

Si spumet rubra conchis tibi pallida testa,
Lautorum cænis sæpe negare potes.

Exterior cortex fabarum habet vim adstrictoriam.

Galega.

Character. Caules striati excavati, ramosi; folia pinnata, bina conjugata, affixa costæ in impar folium terminatæ; flores in spicas congesti, leguminosi, coloris albi, aut violacei albescentis; flori succedit siliqua teres, cylindracea, fæta seminibus oblongis, reniformibus; radix exigua, alba, perennis; hæc planta crescit in locis humidis circa flumina belgicè vocatur *geytenkruyt.*

Vires. Primæ & secundæ sunt veteribus memora-

moratiſſimæ ad omne morborum genus, ubi venenum eſt expellendum eodem modo, ut Scordium, hinc in peſte, variolis, morbillis & epidemia optimè conveniunt, uti ad morſus venenatorum animalium; ejus ſuccus expreſſus contra epilepſiam puerorum, ſi cum melle matutino tempore ſumatur, à *Geſnero* laudatur; folia contuſa vulneri à venenato animali facto impoſita extrahunt venenum, folia comeſta ad luem veneream, lepram, & ſcabiem proſunt, nam ſanguinem optimè depurant, & in calidis morbis dari poſſunt. Si hæc planta manducetur, ſaporem levem aromaticum dat.

Orobus.

Character. Caulis exigui repentes; folia oblonga, bina, conjugata adnata coſtæ in mucronem abeunti; flores in ſpicas congeſti, leguminoſi; coloris purpurei aut albi; flori ſuccedit ſiliqua teres, obrotunda, nigra, erecta, fœta ſeminibus ſubrotundis anguloſis, ovatis, fuſcis, ſaporis paululum amaricantis & ingrati; hæc planta creſcit in ſylvis.

Nomen. Orobus vocatur ab ἐρέπτω *edo* & βȣς *bos*, quaſi herba *quæ à bobus comoditur*, quia Veteres ſimili herba boves pingueſcere ſolebant.

Vires. Hippocrates hanc plantam commendavit in Pleuritide, Peripneumonia & Nephritide, hac ratione ſeminibus toſtis & contuſis ſuperafundatur aqua fervens, per noctem ſtet, deinde adde oxymel & calidè ſorbeant, hoc dicitur lenire & facile penetrare, quod nihil aliud eſt ac noſtrum Coffé; ſed an Veterum

Oro-

Orobus sit nescimus ejus semen ob farinaceam mucaginem respondet fœnu græco in emolliendis & maturandis abscessibus, sed quoniam gaudet sale diuretico more omnium leguminum ideo medetur urinæ & calculo pellendæ.

Astragaloïdes.

Character. Folia pinnata in impar desinentia; siliqua univalvis cymbæ instar, semina reniformia.

Eruum.

Character. Caules flexiles, angulosi; ramosi; folia bina quasi conjugata & costæ innascentia; flores leguminosi, exigui, purpurei, aut aliquando albi; flori succedit siliqua utrimque undulata, veluti nodosa, fæta seminibus subrotundis & angulosis saporis non ingrati; radix parva, hæc planta crescit in pratis.

Nomen. Ervum, ab ἐρέπτω *edo* & βοῦς *bos*, quasi *herba quæ à* bobus comeditur.

Vires. Hæc planta est Veteribus laudatissima, semina mollissima si cum melle contrita sumantur, sunt egregii usus adversus renum Hæmorrhagias.

Glycyrrhiza.

Character. Folia oblonga, virida, viscosa, in alas disposita, bina, conjugata ad costam in folium impar desinentem, saporis acerbi subacidi; flores leguminosi, purpurei; flori succedit siliqua unicapsularis, brevis, compressa, rubicunda, fæta seminibus reniformibus; radix

dix oblonga, sarmentosa, in multos ramos repentes divisa digiti crassitie externè coloris grisei aut rubicundi, internè flavi, saporis subacris mellei dulcissimi, tenuis odoris mellei, hæc planta crescit in regionibus calidis præsertim in sylvis; radix sola est in usu, omnium optima ex insulis canariensibus transfertur, quæ pugni crassitiem adæquat.

Nomen. Glycyrrhiza vocatur à *γλυκὺς dulcis,* & *ῥίζα, radix,* quasi *radix dulcis* Veteres Glycyrrhizam vocabant *scyticam radicem* quia scytici illam primo in usum vocarunt.

Vires. Radix viridis succulenta, abraso cortice, levi coctione egregia est in inflammatione, acredine & asperitate faucium, humores enim lenit, & refrigerat in tussi sicca pleuritide catarrhis, doloribus renum summum est remedium; infantum quoque alvum emollire & solvere creditur, radicis succus expressus, ignis calore inspissatus & in glebas redactus, coloris nigricantis, odoris debilis, saporis subacris dulcis & saccharini (belgicé vocatur *drop*) hinc in omni morbo ubi statim Galegam laudavi, convenit, egregium medicamentum contra phtysin, si bonam ægri servent diætam, sic & contra gonorrhæam virulentam cum rhabarbaro, nam est lene diureticum, verum si nimis sumatur, tum nimis dissolvit, imo sanis facit Gonorrhæam Veterum id est quod semen sponte profluat, resolvit, abstergit, demulcet, in omnibus inflammationibus egregium est, expectorationem promovet.

Onobrychis.

Character. Caules rubicundi, repentes; folia

lia Galegam referentia, ſed minora, in parte ſuperiori viridia, in inferiori alba & villoſa, acuta, bina, coſtæ adhærentia; flores denſè ſpicati, ex alis foliorum erumpentes, leguminoſi, rubicundi, raro albi; flori ſuccedit ſiliqua brevis criſtata vel echinata, ſubrotunda, fæta ſemine reniformi; radix longa, mediocriter craſſa, extus nigra, intus alba; hæc planta creſcit in pratis.

Nomen. Onobrychis vocatur ex ὄνος *aſinus* & βρύχω, *frendeo* vel *ſorbeo* quia hujus plantæ odor Aſinos rudere facit, vel quia quando Aſinus has ſiliquas edit, ſemper rudere dicitur.

Cicer.

Character. Caules tenues, lignoſi, duri, ramoſi, aliquantulum villoſi; folia exigua, villoſa, dentata, bina, coſtæ adhærentia; flores parvi, leguminoſi, albi, aut rubicundi; flori ſuccedit ſiliqua brevis, inſtar veſicæ inflata, continens ſemina referentia caput Arietinum, unde hæc planta *Cicer arietinum* dicitur, cicer eſt vel rubrum vel album, rubrum officinale, album culinarium; cicer rubrum ſunt ciceris ſativi ſemina rotunda, anguloſa, piſo majora, unico angulo acuto prædita, coloris ex fuſco rubentis, ſaporis viſcoſi & leguminoſi; radix longa, exigua, alba.

Nomen. Cicer vocatur à κίκυς *robur*, quia roborare dicuntur, *arietina* appellatur, quia ſemina caput arietis referunt.

Vires. Hæc planta maximè laudatur contra renum morbos & calculum, ſi ſemina in lactè coquantur cum ſucco Glycyrrhizæ & melle, tum hoc decoctum vaſa ita laxat, ut calculum

lum dimittat juxta *Forestum*, hoc decoctum quoque pro nutrimento inservit; hæc semina cum semine Orobi & Erui conveniunt, at temperatiora & gratiora, provocant urinam, menses, lochia & fætum; usurpantur ut semina Fœnu græci; semina tosta pulverizata & aquæ infusa potum Coffè referunt.

Vulneraria.

Character. Caules tenues, rotundi, villosi, aliquantulum rubicundi, incurvati; folia bina, costæ adhærentia, Galegam referentia, sed magis medullosa, in parte inferiori villosa, in superiori albescentia, flavescentia, viridia, saporis dulcis subacris; flores in summitate ramorum crescentes, in umbellam dispositi, leguminosi, flavi; calix tubulatus turgidulus, lanuginosus, argentei coloris; flori succedit siliqua brevis fæta semine subrotundo, in calice membranaceo floris recondita; radix longa, recta, lignosa, nigricans, saporis leguminosi; hæc planta crescit in montibus.

Nomen. *Vulneraria* vocatur à *vulnere*, quia vulneribus curandis maximè inservit, quæcunque species sumitur, dicitur *Lagopus* quia pedem felis refert.

Vires. Hæc planta decocta vel contusa & vulneribus applicata detergit, suppurationem inhibet & labia conjungit.

Lupinus.

Character. Caulis mediocriter crassus, rotundus, villosus, ramosus, coloris viridis subflavescentis, medullam habens; folia flambellifor-

liformia vel digitata; flores in summitate ramorum crescentes, in spicas congesti, leguminosi, albi, pedunculis brevibus adhærentes; flori succedit siliqua compressa, villosa, turgidula, fæta seminibus planis, compressis, vel sphæricis, extus alba, intus flava, saporis leguminosi ingrati, radix divisa, dura, alba; hæc planta colitur in pratis.

Nomen est antiquum, dicuntur semina adhibita à veteribus in lusu & comædiis pro nummis, & hinc proverbium *nummus Lupinus* id est *nummus nullius valoris* hinc *Horatius* canit.

Nec tamen ignorat, quid distent æra lupinis.

Vires. Semina in farinam contrita dant pultem nutrientem, illius farina est emolliens, maturans & dolorem sedans, sed internè adhibita alvum nimis constringit, hinc datur contra Dysenteriam pessimam cum pauco muscato; semina coincidunt cum Orobo & ob sui amaritiem lumbricos pellunt, semina decocta conducunt in scabie & ulceribus, & est cosmeticum summum.

Corallodendron.

Character. Folia terna ad eundem pedunculum; flos papilionaceus, vexillo longissimo ensiformi, alis & carinâ brevissimis; siliquâ nodosa, bivalvi, fæta seminibus reniformibus, habitus arboreus.

Nomen. Coral vocatur, quia in America dicitur ramos ferre rubros instar Coralli splendentes.

Vires. Nullæ sunt notæ, sed nulli plantæ pul-

pulchritudine cedit, quoad florem, qui perfectè instar corallorum rubrorum est elegans.

Emerus.

Character. Folia Coluteæ, saporis amari & ingrati; flores leguminosi, coloris flavi, aliquantulum odorantes; post florem sequitur siliqua longa parum propendens articulata tenuis, continens semina fere cylindrica, coloris obscuri, saporis ingrati; radix se undique extendit.

Nomen est à *Theophrasto* datum, & à *Cæsalpino* restauratum, aliter quoque nonnullis dicitur *Colutea.*

Vires medicatas non novi recommendatas, sed nonnulli dicunt, quod vires sint Coluteæ Vesicariæ similes, quod non credo,

Ornithopodium.

Character. Caules flexiles, debiles, ramosi, villosi; folia Colutea minora, conjugata, plura, in unum impar desinentia; flores exigui, leguminosi, in spicas in summitate ramorum congesti; flori succedit siliqua oblonga, articulata, sulcata, undulata, singulo quoque articulo continens semen unum, rotundum: siliquæ verò ad unum pedunculum & eundem exortum crescunt multæ simul, ut pedis aviculæ speciem referant; radix parva & alba; hæc planta crescit in pratis.

Nomen. Ornithopodium vocatur ab ὄρνις *avis* & πὸς *pes*, quasi *pes aviculæ*, quia siliqua hujus plantæ pedem aviculæ refert.

Vires non habet quod scio.

Coronilla.

Character. Folia Emeri exigua, oblonga, carnosa; flores parvi, leguminosi, coloris flavi; post florem sequitur siliqua ex pluribus partibus, ut articulis junctis composita, singulæ harum continent semen oblongum, nigrum, saporis ingrati; radix longa, satis crassa, dura, hæc arbuscula crescit præsertim in Hispania.

Nomen. Coronilla dicitur, quia hæc planta Coronulæ instar fert siliquas in extremis, vel coronulam refert, quam Pastores amasiæ suæ imponunt, vocatur etiam Colutea à foliatura.

Hedysarum.

Character. Caules satis crassi, repentes; folia conjugata in extremum impar desinentia terna vel plura, Glycyrrhizam referentia, sed breviora, magis ampla, sine lanugine, nisi in margine; flores in spicam vel capitulum congesti, ex alis foliorum erumpentes, leguminosi coloris rubicundi; flori succedit siliqua aspera, undulata, composita ex multis quasi siliculis sibi mutuo ut plurimum adnatis, continens, semina in singulis articulis reniformia; hæc planta habet odorem satis gratum, crescit in montibus, olim hæc planta ad Onobrychos referebatur.

Nomen. Hedysarum vocatur, quasi planta sit suavitatem referens sed unde ita dicitur, nescio, nisi quod tertia florem gratum odorantem habeat.

Secu-

Securidaca.

Character. Caules ex radice erumpentes, ramosi, repentes; folia oblonga, plura, uni costæ adnascentia; flores leguminosi, flavi, in umbellam radiatim dispositi; post florem sequitur siliqua longa, plana, recta, angusta, articulosa, annulata, carinata, in singulis articulis continetur semen rhomboideum introrsum emarginatum coloris rubicundi saporis amari; siliquæ securim militarem exhibent, ut Veterum Dacarum vel gladium Hungarorum; radix longa, alba, fibrosa; hæc planta crescit in locis incultis.

Nomen. Securidaca vocatur, quia Veteres crediderunt ejus semen securim referre.

Vires non sunt cognitæ.

Ferrum Equinum.

Character. Caules exigui, angulosi, parvi, repentes; folia Securidacæ, sed minora; flores leguminosi, flavi; flori succedit siliqua plana oblonga, compressa articulis lunatis ferrum equinum perforatum referentibus, distincta in qualibet quasi articuli parte hærent semina ejusdem formæ; radix lignosa, exigua, alba, fibris circumcincta; hæc planta crescit in regionibus calidis præsertim in locis desertis.

Nomen. Ferrum Equinum vocatur, quia siliqua & semen ita incurvantur, ut ferrum equinum ad pedem accomodatum referant.

Vires sunt adstingentes atque sanguinem sistentes.

Scorpioïdes.

Character. Caules tenues, angulosi, aliquantulum villosi, in latitudinem se extendentes, repentes; folia oblonga, Perfoliatam referentia, sed crassiora, & magis nervosa, saporis acidiusculi; flores exigui, leguminosi, flavi; post florem sequitur siliqua villosa, longa articulosa, hispida, Cochleæ vel Erucæ instar eleganter convoluta, continens in singulis articulis semen ovatum; radix exigua; hæc planta crescit in regionibus calidis præsertim in locis aridis.

Nomen Scorpioïdes dicitur, quia siliqua contorta caudam scorpii refert, *Tournefortius* vocat hanc plantam *Campoidem* in *editione Gallica* id est *Erucam referentem* à καμπὸς *Eruca* & εἶδος *facies.*

Vires. Hæc planta posset ex physiognomia valere contra morsus serpentum, sed tamen huic plantæ in hoc casu confidere non debemus.

Tragacantha.

Character. Folia pinnata, bina velut conjugata, costæ adhærentia, abeunti in mucronem acutum rigidum. Siliqua secundum longitudinem divisa, bicapsularis, brevis, & quasi ovata, continens semina reniformia.

Nomen. Tragacantha vocatur à τραγὸς *hircus* & ἄκανθα *spina* quasi, *spica hirci* gallicè dicitur *barbe de Renard*, quia siliqua barbam hircinam refert.

Vires. Ex hujus plantæ radice exsudat gummosa substantia, alba, lucida, levis, tenax, gra-

gracilis, saporis subdulcis & mucilaginosi, est blandissimum medicamentum in omni morbo, ubi vascula minima emittunt sanguinem ob debilitatem vel acrimoniam humorum, in aqua dilutum mitificat, habetur etiam contra mictum cruentum, si grana quatuor vel sex cum aqua vel lacte potentur, commendatur in oculis inflammatis & asperis si grana duo in aqua rosarum diluantur, lympham tenuiorem & acriorem demulcet & incrassat, ergo in raucedine & tussi orta à catarrhis tenuioribus convenit, in stranguria acri sanguine & urinæ ardore conducit, folia decocta quoque roborent.

Apios.

Character. Caulis scandens; folia bina, quasi conjugata ad costam in folium impar desinentem; pistillum vaginâ obvolutum abeuns in siliquam bicapsularem, continentem seminibus reniformibus.

Nomen. Apios dicitur ab ἄπιος pirum, quia ejus radix pirum refert.

Astragalus.

Character. Caules exigui, simplices, excavati, rubicundi; folia parva, brevia, acuta, villosa pinnata aliquantulum amara, bina quasi conjugata, ad costam in folium impar desinentem; flores leguminosi, in summitate nascentes, purpurei aut aliquando albi, se invicem conjuncti; post florem sequitur siliqua oblonga, rotunda, parva, rubicunda, fæta seminibus reniformibus; radix longa, du-

ra, lignosa, corticem crassum fuscum habens, digiti crassitie, intus alba, saporis dulcis; hæc radix se in parte superiori in multas partes dividit; hæc planta crescit circa vias, dividimus has plantas in siliquas 1. longiores & bulbatas vel in inflatas, quæ Glycyrrhiza dicitur.

Nomen. Astragalus vocatur, quia semen in quibusdam astragalum refert.

Vires. Folia saporem perfectè Glycyrrhizæ radicis habent, & radix Glycyrrihizæ hujus foliorum saporem habent, hinc in hac planta radix est insulsa, in Glycyrrhiza folia sunt insulsa; ejus radices & semina decocta diarrhæam curant, cæterum non laudantur.

Pelecinus.

Character. Caules angulosi, in multos ramos divisi, folia Securidacæ, bina, quasi conjugata ad costam in folium impar desinentem, flores leguminosi, rubicundi, cætera ut in Astragalo, sed post florem sequitur siliqua longa, plana, bicapsularis, bivalvis, utrimque ferri instar dentibus instructa, coloris grisei rubicundi, continens semina exigua, reniformia, saporis leguminosi; radix longa, fibrosa.

Nomen. Pelecinus vocatur à πελεκῖνος, *securidaca*, quia siliqua hujus plantæ perfectè refert ratulam marinam belgicè *swaert vis* vel serram ab utroque latere dentatam.

Vires nondum sunt cognitæ.

Siliquosæ non Papilionaceæ.

1. *Monopetalæ.*

In his fructus est siliquosus, sed flos monopetalus campaniformis, adeoque siliquosa monopetala campanulata.

Mimosa.

Character. Caules repentes; folia longa, polita, angusta, bina quasi conjugata ad costam in folium impar desinentia, systole & dyastole prædita, id est ad tactum se contrahentia & postea iterum se erigentia; flores monopetali, infundibuliformes, campanulati, multis staminibus donati, & in capitulum collecti; flori succedit siliqua simplex bivalvis, continens semina oblonga & plana, vel composita ex pluribus partibus articulatione transversa junctis, quarum singulæ turgent semine subrotundo; radix parva. Hæc planta crescit in locis calidis & humidis.

Nomen. Mimosa vocatur, quia si folia attingantur, quasi minantur, & siliquæ solent se dimittere.

Vires nondum sunt notæ.

Acacia.

Character. Folia pinnata numerosis foliolis, flores monopetali, infundibuliformes, campanulati, multis staminibus donati, in capitulum congesti, siliqua longa, in plures foveas divisa, recondens semina subrotunda ut plurimum

mum reniformia, siliquas fungosas gerit hæc planta repletas, dum immaturæ sunt succo plurimo.

Nomen. *Aaccia* vocatur ex ἀκαζω *acuo*, quia hæc arbor est multis spinis instructa, tamen videtur esse vox Ægyptiaca, unde verò sic proprie fuit dicta, nescio.

Vires. Prima planta est Acacia Veterum, inde duplex fit medicamentum laudatissimum, quod est gummi Arabicum, est substantia dura, compacta, in grumos variæ magnitudinis & formæ condensata, externè superficie granulata, pallidè flavescens vel omnino albicans, internè pellucida vitri instar, ex arbore Ægyptiaca Acacia dicta collecta, saporis aquei viscosi odoris nullius ex secunda fit succus Acaciæ Officinarum, qui est Ægyptiæ siliquarum immaturarum acaciæ floribus albis succus expressus, coctus & induratus, saporis acerbi austeri & adstringentis, qui tantum nominis meruit ad adstringendum, in Ægyptia multum adhibetur in peste & dysenteria, morbis ibi familiaribus, ille succus est pretiosissimus & raró ad nos accedit, verum in Germania ex fructubus prunis sylvestris belgicè *sleedoorn* fit succus expressus, coctione induratus, nigricans, saporis acidi, austeri & adstringentis; ille germanicus succus vix differt ab Ægyptiaco, hinc pro hoc germani utuntur.

Poincina.

Character. Folia oblonga, multa, uni costæ adhærentia, coloris purpurei; flores, polypetali cum staminibus numerosis, coloris purpurei;

purei; calix pentaphyllus; post florem sequitur siliqua plana, dura, bifariam dehiscens, externè coloris fusci, internè albi, in loculos dissecta, continens semina subrotunda, rubicunda; hæc arbuscula crescit in America.

Nomen. Poincina dicta est à *Tournefortio in honorem præfecti classiarii. Frutex pavoninus sive crista pavonis vocatur*, quasi arbuscula, cujus flores pulchritudinem Pavonis plumæ habet.

Vires non sunt cognitæ, inde tamen fit Indigo.

Siliquosæ Polypetalæ.

Senna.

Character. Caules lignosi; folia oblonga, acuta, coloris viridis subflavescentis; flores rosacei, pentapetali; flori succedit siliqua plana, crassa, carnosa, valde succulenta, incurva, bivalvis, membranosa, coloris obscuri, continens semina instar gigartorum, à se mutuò distincta parvis sepimentis, nigra, aut alba; radix longa & parva; hæc arbuscula crescit in regionibus calidis, præsertim in Indiis Orientalibus in Alexandria, Ægypto & Arabia, folia ut plurimum, si sol absit, dependent, ut etiam si cælum non sit serenum.

Nomen. Senna seu sena vocatur quasi *sana*, quia ejus folia sanitatem restituunt; vocatur etiam *Panis Sancti Johannis Baptistæ* quia iis vitam sustentavit.

Vires. Prima & secunda si reducentur in infuso ad dragmam unam vel unciam demidiam optimè purgant, eviluit verò hujus usus, qui

X 5 ter-

tormina nimia faciens saporem habent nimis nauseosum, sed tormina tolluntur addito semine fœniculi, sapor verò nauseosus corrigitur à Scrophularia quarta radice fibrosa. Quartæ & quintæ folia contrita & contusa immittunt Indi aquæ & sic pisces quasi dormientes & ad aquæ superficiem accedentes capiunt, hæc folia quoque dolores sopiunt.

Cassia.

Character. Folia pinnata; flores pentapetali rosacei, in orbem positi, stylus instar proboscidis; siliqua est oblonga, rotunda, cylindrica, teres, lignosa, aliquando compressa in varia loculamenta à dissepimentis transversim positis, obductis medullâ nigrâ liquidâ, dulci, in singulis loculamentis hærent semina depressa, dura, obrotunda, nitida, coloris, flavi; hæc siliqua est fructus cujusdam arboris, quæ crescit in Indiis Orientalibus, Ægypto & Alexandria, habet corticem griseum saporis adstringentis, floribus hujus arboris decisis siliquæ adeo indurescunt, ut à ventis agitatis tantum strepitum edant, ut à duorum miliarium distantiâ audiantur. Hæc planta convenit in omnibus cum semine, nisi quod Cassia habent pulpam in fructu, Senna non.

Vires. Tertia est officinalis & purgat bilem & serum, pulpa hujus quoque est diuretica, unde gonorrhæa stranguria & calculo vexatis, si alvi adstrictione laborant, conducit, si mane jejuno ventriculo sumatur, tum urinam facit nigram, & si verò simul addatur Rhabarbarum, tum urinæ color corruptionem indicare videtur, quibusdam tanquam singulare anti-

antipleuriticum laudatur; sectis calculo hujus usus est interdictus, pulpa verò immatura adstringit, denique ob viscositatem torminosa est & tardæ operationis, propterea correctorio & stimulo eget. Hanc ob causam hypochondriacis nocet. Interstitia lignosa possidere vim purgantem simiarum experientia constat, quæ hæc devorantes fortiter purgantur; siliqua recens matura & manducata est pulmonica & optima contra asperæ arteriæ asperitates.

Siliqua.

Character. Rami magni, duri, in latum se extendentes; folia pinnata, oblonga, carnosa, nervosa, dura, ad rachin communem cum impari extremo; flores apetali, numerosis staminibus constantes, oriundis ex calicis fissurâ; in calicis centro fit siliqua oblonga, compressa, paululum intorta, crassa, digitò longior, pollico latior, fusca, splendens coloris obscuri rubicundi, dorso elatiore includens pulpam carnosam, dulcem, rufam, sub qua intra membranaceos loculos latitant semina plana, subrotunda, compressa, fusca, lucida, habent dulcedinem majorem in pulpa quam in cortice; hæc arbor crescit in Regno Neapolitano, Hispania & Indiis orientalibus.

Nomen. Siliqua vocatur à ξυλικὴ *lignosa*, quia siliquæ habent corticem lignosam, *Ceratia* uti etiam *Ceratonia* dicitur à κέρας, quia ejus fructus cornu quasi refert; hæc arbor siliqua vocatur, quia ejus fructus est siliqua.

Vires. Siliquæ virides maturæ habent saporem ingratum, sed siccatæ fiunt dulces, siliqua, dulcis officinalis pulpa dicitur, solet dari ad

leniendum & purgandum pectus, hinc est aperiens pectoralis & conducit in diarrhæa, hujus dulcis & viscosa substantia temperat sodam ardorem ventriculi & urinæ, si matura sit, purgat, immatura verò adstringit.

Tamarindi.

Character. Hæc arbor est valde magna, corticem durum, crassum & griseum habet; folia magna, pinnata, absque impari extremo; flores tripetali, tribus staminibus præditi, insidentes calici carnoso, exeunti in quatuor longa foliola; Ovarium ex centro calicis fit siliqua longa, lata, in septa distincta, repleta pulpa ex fusco nigricans, saporis subacidi, raris per longitudinem lignosis filamentis pertexta, distincta in membranacea loculamenta, in quibus inclusa latent semina dura, quadrata, ovata, ex fusco rubicunda & splendentia; radix hujus arboris est longa, crassa, in multas partes divisa, corticem rubicundum & stypticum habens; hæc arbor crescit in Indiis Orientalibus & Africa.

Nomen. Tamarindi à *tamar dactylus*, quia ejus fructus dactylum quasi refert.

Vires. Pulpa in substantia recens, dura, medullosa, ex fusco nigricans acido vinoso possidet vim blandam laxantem, convenit in æstu reprimendo præcipuè febrili, ubi opus est simul laxante, conducit in febribus continuis, diarrhæis, stomachum quoque roborat, in nimio hæmorrhoidum fluxu à sanguine acriore & bilioso laudatur; folia Tamarindorum sitim sedent, & prosunt in frebribus ardentibus.

Bonduc.

Character. Folia pinnata absque impari extremo, flores monopetali, ad unguem usque incisi in multa segmenta, aut & polypetali, multis staminibus præditi, insidentes calici multifido, ex cujus calicis centro oritur ovarium, quod abit in siliquam eschinatam, unicapsularem, univalvem, compressam, politam duram, splendentem, continentem semen unum vel alterum albescens, oleosum, saporis ingrati.

Bacciferæ.

Bacca est fructus sphæricus plerumque mollis tenui membranâ tectus, quæ semina in substantia pulposa nidulantia continet, si verò minus mollis & crassiori membrana tegatur, tum dicitur pomum.

Rubus.

Character. Rami longi, flexiles, debiles, virides, medullosi, spinis acutis instructi; folia oblonga, acuta, dentata, dura, aspera, in parte superiori viridia, in inferiori alba, trifoliata, vimina semper virgultuosa; calix quinquifidus; flores rosacei pentapetali, in summitate ramorum crescentes, exigui, pedunculis brevibus adhærentes, numerosis staminibus stipati; in centro calicis cui adnascitur fructus globosus, ex pluribus acinis succulentis compositus, placenta affixis, succo plenis, in initio rubicundis, sed post maturitatem nigris,

ſaporem dulcem habentibus, fætis ſeminibus oblongis, ſingulis inſtructis ſuâ tubâ; radix parva, repens; hæc arbuſcula creſcit juxta vias; cætera ſunt Fragariæ ſimilia, niſi quod non repat, nec flagellas habeat nec ſemina externè ad pulpam, ſed internè gerat.

Nomen. Rubus vocatur à *rubro colore*, quia ex fructu ante maturitatem rubicundo tota planta quaſi rubra apparet.

Vires. Omnes hæ plantæ recipiuntur in Medicina, radices primæ ſecundæ, tertiæ & quartæ menſe februario vel Martio effoſſæ circa plenilunium & cum melle coctæ dant remedium optimum aperientiſſimum, hinc in Hydrope convenit, fructus cum vino rubro coctus Veteribus pro ſummo habetur remedio, ubi eſt roborandum, & ubi fluxus erant ſiſtendi ſanguinis vel alvi, baccæ maturæ ſuccum nitroſum & aromaticum poſſident, qui habet vim aperiendi maximam, in ſiccitate & colore coacta reſolvit, & per urinam expellit, hacque ratione laxat in morbis, ubi leniendum & ſaponacea vi abſtergendum eſt; folia utcunque parata roborant, & adſtringunt; fructus laxat & aperit, & ille ſuccus ex foliis preſſis in omnibus morbis acutis convenit, hinc ſyrupus de Rubis vel Rubo ideo, qui convenit, ubi bilis peccat, uti & in inflammatione, ſi paucæ baccæ tertiæ & quartæ vino immittantur, vinum faciunt fragrantiſſimum, & colorem gratum conciliant, & cor maximè exhilarant, quod dicitur vinum Ruboides; inde etiam fit gelatina, quæ in morbis calidis laudatur; folia & fructus conducunt in diarrhæa, fluxu albo, vomitu, nimio uteri & narium fluxu, ulcera gingivarum curant, in Aphthis & oris ulceribus

bus eſt optima planta, folia contuſa proſunt in verrucis extrahandis, vulneribus & ulceribus curandis, tandem ſcabiem curat.

Smilax.

Character. Caules longi, duri, ſtriati, ſarmentoſi, ramoſi, flexiles, ſpinis inſtructi, ſcandentes, arbuſculas vicinas amplectentes; folia magna, ampla, craſſa, dura, nervoſa, acuta, ſpinoſa, punctis albis inſtructa; flores polypetali, roſacei, parvi, albi, odorantes, in ſpicas congeſti, piſtillum floris fit bacca mollis, rotunda, pulpoſa, rubicunda aut flava, includens ſemina polita, rotunda, ovata, externè coloris rubicundi ſubfuſci, internè albi, ſaporis inſipidi & ingrati; radix longa, aliquantulum nodoſa, dura, in plures parvos ramos diviſa; hæc planta creſcit in locis incultis.

Nomen. Smilax vocatur à *σμάω rado*, quia hæc planta eſt acuta, vel ſmilax id eſt pulta volubilis aſpera, vel juxta *Ovidium* eſt nomen cujusdam infantis, qui in hanc plantam fuit mutatus; aſpera dicitur quia ſpinoſa eſt.

Vires. Omnes veteres laudant, quod tantum vim habeant in reſiſtendis venenis, ut in inter Alexipharmaca Princeps ſit, nam venenum per ſudores expellit, Veteres dixerunt, quod ſi modo hæc herba recens decocta infanti applicetur, tum ille infans præſervatur ab omni veneno, ſic etiam laudant contra morſus venenatorum animalium, verum poſtquam innotuit Salſaparilla, ſeu Sarſa officinarum, putarunt fere omnes Botanici, quod ſmilax eſſet ſpecies Salſaparillæ, ſed in alia regione creſ-

creſcens, quidquid ſit neſcio, tamen ſic videtur, radix enim convenit, apud Hodiernos medicos uſurpatur hæc herba pro ſummo depurante ſanguinis, nam ſarmenta decocta ſanguinem depurant, radices folia decocta conducunt in morbis venereis, morbillis, variolis, & lue venerea laborantibus, qui ſudores ferre non poterant, hac ratione curavi.

Bryonia.

Character. Caules exigui, ramoſi, teneri, villoſi, intra parvum tempus in altitudinem creſcentes, ſcandentes, plantas vicinas amplectentes; folia Vitim referentia, ſed minora, aſpera, albeſcentia; flores monopetali, campaniformes, albi, exigui, patentes, quinquifidi, orâ radiatim expanſâ, calice tenaciſſimè comprehenſi, proprio calici adnati ut unum corpus eſſe videatur quinque ſtaminibus præditi, maſculini; alii flores ſimiles innaſcuntur ovario ſupra apicem ejus calice inſtructum; Ovarium innatum fini pedunculi eſt bacca rotunda, vel ovata in initio viridis, ſed poſt maturitatem rubicunda, ſuccum flaveſcentem ſaporis ingrati habens, in qua hærent ſemina plura ovata & acuta; hujus ovarii apex coronatur calice & flore hermaphrodito ſimili flore maſculino, ſed minore; radix longa, tuberoſa, craſſa, carnoſa, albida flaveſcens quaſi fungoſa, intus circulis donata, ſaporis acris mordacis, amaricantis, nauſeabundi, odoris viroſi dum recens eſt; mitior fit, dum ſeneſcit.

Nomen. *Bryonia* vocatur à *βϱυὸν* *Muſcum*, quia inſtar muſci occupat ſolum, dicitur etiam

Vitis

Vitis Sylvestris radix, quia Vitim refert, hæc ex America adfertur, aliter apparet, ac hic crescit ob soli caliditatem.

Vires quod attinet non possum omnes explicare, nam quidem quatuor prælectionibus opus haberem, hinc saltem quasdam compendio dicam, primæ, secundæ, tertiæ & sextæ radix ad finem hyemis circa plenilunium effossa, tum in taleolos scissa, in umbra siccata & ad unciam unam vel dimidiam libræ uni vel duabus vini infunditur, si tum uncia una hujus vini sumatur, sursum deorsumque purgat, hacque ratione sæpe Hydrops curatur, sic ergo in lentis pituitosisque sumitur, lento facto motu, omnia repurgat, ergo maximum solamen est in hydrope, si ex radice expressus succus paulo exsiccetur, tum habent fæculas, quæ aperire solent, & in uteri obstructionibus conveniunt, non verò purgant, hacque ratione conducit morbis virgineis & uterinis, si radix in pulverem redigatur, & inde fiat Cataplasma resolvit omnes tumores & maculas à sanguine extravasato, convenit etiam ad tophos venereos, si ex foliis fiat Cataplasma est summum discutiens, prodest ob summam sui amaritiem in vermibus necandis & pellendis, menses ciet, fætum educit, astmata sanat, uteri suffocationes arcet, podagricis conducit internè & externè, radix pulverizata stercore vaccino & aceto mista & in cataplasma redacta conducit podagricis, hæc planta malum nomen accepit, quia Empirici in omni hydrope & quartana febre usurpabant, si radix Bryoniæ ad unciam unam libris duabus vini infundatur more nostro in phiala alta chemica, si tum dragma una inde nonnunquam sumatur, fit summum

mum aperiens, ſed nauſeam quidem facit.

Tamnus.

Character. Sarmenta exigua ſine capreolis ſerpentia & plantas vicinas amplectentia; folia caulibus longis adhærentia, & alternatim diſpoſita, coloris viridis ſplendentis, ſaporis viſcoſi; flores ex alis foliorum erumpentes, hexapetaloïdes, nudi, ſtellati, præditi ſex ſparvis ſtaminibus, è latere interno floſculi enatis ad inter media ſegmentorum, coloris flavi, viridescentis aut pallidi: hi flores ſunt hermaphroditi. Sed & ſunt flores mares abſque ovario nati ſimili modo in aliis plantæ locis. Flores digeruntur in racemos; finis pedunculi ſuſtinet ovarium, quæ eſt bacca oblonga, ovata, pulpoſa, rubicunda, aut nigricans, continens tubam longam, membranaceam, cylindricam in faſtigio trifidam, ſegmenta iterum bifida, ncurva, villoſa, fatam ſeminibus; radix magna, craſſa, tuberoſa, fere rotunda, extus nigra, intus alba, profundè in terra depreſſa, ſaporis acris; hæc planta creſcit in ſylvis.

Vires inſunt violentes, dicitur quoque hæc planta aliquid venenati habere, hinc malè ſæpe pro Bryoniâ adhibetur.

Chriſtophoriana.

Character. Caules exigui, teneri, ramoſi; folia ampla, magna, in multas partes diviſa, oblonga, acuta, dentata, coloris viridis albeſcentis; flores pentapelati, ſtellati, roſacei, flos hic calicem, ſi clauſus ſit, microſcopio viſibilem habet, in quo erravi in indice, ſed non

non aperitur flos, quin diffletur calix, sic & petala cito difflentur, ita ut numerus petalorum non conveniat inter auctores; post florem sequitur bacca mollis, fere ovata, aliquantulum carnosa, quæ per maturitatem fit nigra, continens semina gemina ordine ut plurimum sibi adhærentia; radix satis crassa, fibrosa, externè nigra, interna flava; hæc planta crescit in montibus.

Nomen. *Christophoriana* vocatur, quod nomen huic plantæ male fuit datum fortè à *Sancto Christophoro*.

Vires. Prima est venenatissima, sic quoque secunda, sed qua fide nescio, nam non audemus plantas talis mali nominis explorare Quarta in Medicina non laudatur.

Aralia.

Character. Flores polypetali, nudi, apici ovarii innati; bacca globosa continens semina oblonga.

Vires. Prima dicitur esse bonæ virtutis & secunda radix adhibetur ab Europæis pro radice Salsaparillæ; hinc duplex Sarsaparilla, ut quoque duplex est radix Serpentariæ.

Ruscus.

Character. Rami multi, flexiles; folia Myrti, sed rigidiora, duriora, acuta, pungentia, nervosa, inodora, sine caule, saporis amari & adstringentis; calix monophyllus, multifidus intra hunc flores monopetali, campaniformes, globosi, exigui, lutei; flori succedit bacca rotunda, mollis, rubens, Asparagi baccis major,

con-

continens sub tenui pelliculâ modo unum modo bina semina durissima, flava, saporis subdulcis: radix crassa, oblonga, tortuosa, obliqua, implexa, inæqualis, dura, repens, alba, fibras multas albas demittens, saporis acris, aliquantulum amari; hæc arbuscula crescit in locis incultis, ut in sylvis.

Nomen. *Ruscus* vocatur quasi *Rusticus* id est *planta rustica*, quia rustici olim supra suas carnes hanc plantam ponebant, ut eas à muribus defenderent, dicitur etiam *Laurus*, quia videtur ad laurinas coronas faciendas conducere, & Alexandrina, quia in Alexandria crescit de Rusco foliis asperis Poëta canit:

Horridios rusco, projectâ vilior algâ,

Prima officinalis dicitur *Ruscus Myrtifolius*, quia habet folia Myrti vel *Myrtacantha* à μύρθος *Myrtus* & ἄκανθα *spina* quasi *Myrthus spinosus*, *Oxymyrsine* ab ὀξὺς *acutus* & μυρσίνη *Myrthus.*

Vires. Radix nomen habet, ut inter quinque radices aperientes resenseatur, Veteres quoque dixerunt esse medicamentum aperientissimum, ut quoque experui, habet omnes virtutes, quæ prædicantur de lapide colubrino vel Pedro del porco; folia in vino albo cocta & jejuno stomacho hausta concreta optime resolvunt & per urinam expellunt, alvum movent, & in morbis renum, colica nephritica & hydrope conveniunt, hæc planta vere teneros & virides surculos agit, qui instar Asparagi comeduntur; radix etiam conducit in Ictero & ardore urinæ.

Pe-

Polygonatum.

Character. Caules rotundi, politi, nullos ramos dantes, in ſummitate aliquantulum incurvati; folia ad caulem alternatim & quaſi pendula diſpoſita, oblonga, ampla, nervoſa, coloris ſubfuſci; flores monopetali, campaniformes, tubulati, nudi, multifidi, uni cauli adhærentes pedunculis brevibus, in ſex ſegmenta fiſſi, ſex ſtaminibus è latere interno floris enatis prædití; Ovarium ex floris centro natum, tubam emittit longam, apiculo fimbriato inſtructam; & fit bacca mollis, fere rotunda, ovalis, viridis aut purpurea, continens ſemina ovalia, dura, alba; radix longa, digiti craſſitie per intervalla articulata, & nodoſa, aut tubulata, alba, multas fibras poſſidens, ſaporis ſubdulcis. Hæc planta creſcit in ſylvis.

Nomen. Polygonatum vocatur, à πολὺ *multum* & γόνυ *genu* quia multa genicula habet, nam radix eſt valde nodoſa, dicitur etiam *ſigillum Salomonis*, quia radices nodi ſigillum quaſi referunt.

Vires. Hæc planta conducit in fluere albo, folia decocta proſunt in ſcabie, cicatriculis, maculis morbillorum & lenticulis capitis, baccæ ad unciam unam pintæ vini albi gallici infuſæ conveniunt in herniis, præſertim ſi radices contuſæ externè applicentur, ex prima & cæteris fit aqua ſtillatitia ad lavandum, quam mulieres pulchritudini inſervientes uſurpant, ſed non credo multum his prodeſſe, hæc planta habet vires aperientes.

Smi-

Smilax.

Character. Caulis tenuis; folia acuta, nervoſa; flores hexapelati, nudi, albi, exigui, ſex ſtaminibus inſtructi latis craſſiſque, in ſpicas digeſti, inodori; Ovarium in fundo floris ſphæricum, brevi tubâ inſtructum fit bacca ſphærica, mollis, poſt maturitatem rubicunda, ſub tenui pelliculâ recondens ſemina ſphærica; radix parva, perennis, repens, fibroſa, alba, ſaporis ſubdulcis: hæc planta creſcit in ſylvis.

Nomen. Smilax vocatur à *σμάω rado*, quia eſt planta aſpera, *Unifolium* dicitur, quia in initio tantum unicum florem gerit.

Lilium Convallium.

Character. Folia Lilii vel Plantaginis oblonga, ſatis ampla, viridia, polita; caulis parvus, anguloſus, nudus; finis pedunculi fit flos monopetalus, campaniformis, exiguus, obrotundus, in ſex ſegmenta ſupra fiſſus, pendulus, ſpicatus, albus, odoris grati, ſaporis amari; ex apice pedunculi intra florem ovarium naſcitur, quæ fit bacca mollis, ſubrotunda, rubicunda, continens ſemina denſè congeſta, rotundula, dura, amara; radix longa, parva, repens, alba; hæc planta creſcit in ſylvis & vallibus.

Nomen. Lilium vocatur à *ſimilitudine foliorum*, & *Convallium*, quia in vallibus creſcit, hinc à *loco natali*, imprimis in *Moſcovia & ſylvis germanicis.*

Vires. Hæc planta habet ſuavem & ſubtilem odorem, ergo ſpiritus refocillare dicitur, com-

commendatur ad morbos cerebri, vertigines, epilepſiam, paſſionem hyſtericam, convulſionem, & paſſionem hypochondriacam, colligitur magnâ copiâ in Germaniâ, inde fit aqua ſtillatia, & ſpiritus, qui adeo commendatur contra vertiginem & animi deliquium, ſi verò nimis uſurpetur, vertiginem faciens inebriat; cæterum eſt ſummum reſtaurans, credo verò quod in morbis calidis ſit æquè peſſimum medicamentum, ac ſpiritus vini, ſed ubi frigus morbum producit, convenit, verum putarem, conſervam ex floribus in hoc caſu melius conducere; flores in pulveres contriti & naſo inditi conducunt in paralyſi, nam eſt optimum ſternutatorium.

Aſparagus.

Character. Caules craſſi, rotundi, duri, recti, folia non habentes, in initio virides, denique albi, edules; folia tenuiſſima; flores roſacei, hexapetali, nudi, ſex ſtaminibus præditi, campanulam oblongam referentes; Ovarium natum ex placentula hærente in pedunculi apice intra florem fit bacca rotunda, mollis, rubra, piſi magnitudine, includens ſemina dura, orbicularia, corneæ duritiei, ſaporis ſubacris, ſubdulcis, odoris nullius; radix numeroſa; longa, parva, ſpongioſa, rotunda, ex uno capite inæquali in plures fibras ſeſe diffundens externè coloris griſei, internè albi, ſaporis ſubdulcis, ſubacris, odoris nullius; hæc planta in hortis colitur. *Martialis* de hac planta canit.

Mollis

Mollis in æquorea, quæ crevit ſpina Ravenna;
Non erit incultis gratior aſparagus.

Nomen. Aſparagus vocatur ab ἀσπαραγὸς, quod notat apud Græcos ſurculum erumpentem, ut aſparagi faciunt.

Vires. Primæ & ſecundæ radices in Medicina recipiuntur inter quinque radices aperientes, ſed habent hoc incommodum, quod urinam faciunt cadaveroſam vel fætidiſſimam; hinc *Helmontius* putat renibus non prodeſſe, imprimis ſi Aſparagi nondum prodierint, & ſic abſcindantur, tum toti ſunt albi, & faciunt urinam fœtere, & ſi per urethram tranſeat, facit dolores, ſi verò ſurculus jam jam in ramos abiturus ſit, ut Galli comedunt, tum inde urina non fœtet, nec fit ſtranguria, radix maximè urinam movet hinc ardor & fætor, qui ex Aſparagis in urina excitatur, fecit radicem medicis eſſe ſuſpectam; ſi nimis coquantur, tum ſunt valde mucoſi & non facile digeſtibiles.

Alkekengi.

Character, Caules exigui, rotundi, rubicundi, in multos exiguos ramos diviſi; folia Solani, ſed majora; calix tubuloſus, campaniformis, quinquifidus, inſtar veſicæ ſupra conniventis excreſcens, per maturitatem fit pericarpium; flores monopetali, rotati quinquifidi, ſtaminibus quinque præditi, ovarium ex placentâ ad finem pedunculi, intra calicem natum, tubâ longa, gracili, apice globoſo præditâ inſtructum, fit fructus mollis Ceraſi forma (qui tectus latet in veſicâ membranaceâ ex

ex calice dilatato) per maturitatem rubens ſaporis acidiuſculi aliquantulum amari continens ſub tenui pellicula pulpam globoſam & flaveſcentem, in qua hærent ſemina compreſſa, ſubrotunda, rugoſa, plana, ſaporis ſubacris, ſubamari, odoris nullius evidentis; radix parva, alba, repens; hæc planta creſcit in vinetis.

Nomen. *Alkekengi* ex vox Arabica; *Halicatabum* dicitur ab ἅλς *mare* & κάκαβος, vas quia putamen hujus fructus vas maris refert *Veſicaria* vocatur, quia fructus hujus plantæ in veſicâ eſt incluſus, prima belgicè dicitur in officinis *Crieeken over zee.*

Vires. Baccæ habent ſuccum vinoſum penetrantiſſimum, ſimilem ſuccum citri vel vini; hinc in febribus ardentibus laudatur, hic ſuccus quoque eſt diureticus, ergo in morbis renum commendatur, & quidem optimus eſt, quia nil in noſtro corpore niſi ſola urina, quæ in putredinem alcalinam vergit, hinc alcalia diuretica vobis ſemper ſint ſuſpecta. Baccæ exſiccatæ, in pollinem contritæ & vino infuſæ eſt ſummum diureticum, quod etiam alvum movet, ſic etiam contra calculum laudatur, valet contra omnes morbos ardentes vi ſua refrigerante, ſemina exſiccata & contrita cum ſaccharo ad unciam dimidiam ſunt optima in omnibus renum morbis, inſtar Thée & Coffé adhibita renes purgant, baccæ valent contra ſanguinem congrumatum, icterum, ſtranguriam, urinæ remoram arthritidem & hydropem; fumus ſeminum ore exceptus mirè prolicit vermiculos ex dentis cavo; ex baccis fiunt Trochiſci optimi

Solanum.

Character. Caulis ramosus; folia oblonga, acuta, satis ampla, mollia, nigricantia, altera angulosa, altera crenata, altera integra, saporis herbacei, insipidi, succum viridem habentia; flores monopetali, quinquifidi, stellæ instar expansi, in medio pluribus staminibus donati; calix monophyllus, quinquifidus, stellatus, non vesicarius; flori succedit bacca mollis, succulenta, ovata vel globosa, nigricans, fæta seminibus planis, exiguis, flavis; radix longa, fibrosa, albescens, hæc planta crescit juxta vias.

Nomen. *Solanum* vocatur à *solari*, quia hæc planta humores dulces reddit.

Vires. Prima & secunda vocantur *Dulcisamara* vel *Dulcoamara* belgicè *Bittersoet*, si partem recenter avulsam manduces, per totum os amaritiem diffundit, & paulo post dulcedinem mellitam; succus ejus est penetrantissimus, saponaceus, & detergens, hinc convenit, ubi sanguis est extravasatus & grumosus per vulnus, est diureticus, sabulumque renum expellit, estque sudoriferus, hinc Medici in Phtysi vimina diutissimè cocta dant potandum ad depurgandum & attenuandum, sed ubi nimia sanguinis tenuitas, quæ per sudores nocturnos se manifestat, adest, tum nocet; in inflammationibus & fibris nimis tensis est optima planta; folia contusa conducunt in hæmorridibus, ejus succus in cancro est optimus ad lavandum, cum spiritu vini rectificatus conducit in Erysipelate & omnibus cutis morbis, vis eadem ac in Glycyrrhiza, in decocto summus

mus ufus contra omnes morbos ab obftructionibus, deterget enim, aperit in omnibus pectoris morbis, corporis ulceribus vel externis vel internis, contra fcorbutum & luem veneream laudatur, eft planta maximè diuretica, & nulla magis in caftris commendatur, fi milites internè vel externè læfi fint, externè in podagra conducit, uti ad fopiendos dolores. Quarta quinta & fexta belgicè vocantur *Dullebyen Dulkruyt.* Medici hanc plantam fummopere externè commendant; externus ufus quidem mihi probatur, fumunt nempe folia contufa, & fuccum expreffum unguento Rofaceo permiftum imponunt capiti phrenitici hominis ad refrigerandum & dolores fedandos, hinc ejus fuccus eft antiphlogifticus; folia cum fale vel nitro contufa quoque in inflammatione gangræna & fuppuratione conveniunt; internè hæc planta dicitur mitificare ardorem, refrigerare & reficere, fed cum plurimi rufticorum pueri inde fint convulfionibus affecti & mortui, uti & eorum gallinæ, ut ruftici teftantur, hinc nobis fit planta fufpecta, fic & eorum baccæ, externè folia contufa conveniunt in hæmorrhoidum inflammatione; feptimæ & octæ non tam cito fiditur, Nona habet tubera pro radice quæ in America primo eft inventa, ibique laudatur pro optimo nutrimento; jam verò vulgus eft ejus ufus, belgicè vocantur *aerdappelen*, dant optimum & bonum nutrimentum, fi verò nimiâ copiâ affumantur, fuffocant, tubera fub cineribus quafi affando cocta exficcant, & optimum eft nutrimentum, in venerem excitare dicuntur. Decima quarta putatur effe Solanum Veterum, & dicuntur poma habere vim refrigerantem, non fcio

tamen ejus vim, quia ejus virtus nondum ſatis eſt explorata. Decima ſeptima eſt venenatiſſima. nam ejus baccæ abque ullis fere ſymptomatibus exſtinguunt.

Capſicum.

Character. Caulis angulofus, durus, villoſus, ramoſus; folia longa, acuta; calix parvus, brevis, rigidus, expanſus; flores monopetali, rotati, multifidi, fructui inſidentes; flori ſuccedit fructus mollis, membranaceus, in duo vel plura loculamenta diviſus, politus, ſplendens, in initio viridis, deinde flavus, poſt maturitatem ruber aut purpureus, fætus ſeminibus planis, fere reniformibus, coloris flaveſcentis ſubrubicundi; radix brevis, tenuis, multas fibras dans; hæc planta creſcit in regionibus calidis, ut in Hiſpania.

Nomen. Capſicum vocatur à *Capſa*, quia ſemina hujus plantæ in capſula quaſi includuntur, vel *Capſicum* à *κάπτω mordeo*, quia eſt planta ardens & pungens; dicitur etiam *Piper Indium Americanum Braſſilianum* à ſapore acerrimo, nam ſi fructum crudum ederis ſapor die integro in ore hæret, neque facile deleri poteſt.

Vires. Fructus in Medicina recipitur, qui habet acrimoniam, cui ſimilem non novi, memini me incautè guſtaſſe, inde meum os per viginti quatuor horas fuit aduſtum & inflammatum, ſed hoc aceto corrigi poteſt, braſſilienſes aceto condunt, & inſtar ſynapi utuntur, ſic in morbo frigido vel ſcorbuto & debili ſtomacho pituitoſo ſummo cum effectu ingerunt, hoc verò mirum, quod calidarum Regionum incolæ

colæ ſemper his calidis utantur. Ultimo quoque eſt Capſicum maximo fructu ſtriato inſtar Mali, vocant etiam piper braſſilienſe cum boneto belgicè *peper met klapmutſen.*

Lycoperſicon.

Character. Caules longi, villoſi, debiles, excavati, ramoſi, repentes; folia in margine dentata, acuta, tenera, aliquantulum villoſa; flores monopetali, in lacinias diviſi, flavi; flori ſuccedit fructus, carnoſus, mollis, ſubrotundus, politus, ſpendens, in varia loculamenta diviſus, in quibus latitant ſemina rotunda, compreſſa, flava; radix fibroſa; hæc planta habet odorem penetrantem & ingratum, in hortis colitur.

Nomen. *Lycoperſicon* vocatur à λύκος, *lupus* & περσικὸς, *Perſica*, quaſi *perſica lupi*, *Dodonæo* dicitur *poma aurea*, *& poma amoris à forma.*

Vires. De ejus virtute diſputatur & lis nondum eſt compoſita, ſed mihi videtur potius ad venenatas quam ad medicatas plantas eſſe referendas, nam ſemina aſſumpta ſtomachum ſubvertunt & languores & quaſi apoplexiam inducunt.

Belladona.

Character. Caules craſſi, rotundi, ramoſi, villoſi, coloris rubicundi, obſcuri; folia Solani, ſed majora, ampliora, oblonga, mollia, non anguloſa, aliquantulum villoſa aut lanuginoſa; flores ex alis foliorum erumpentes, monopetali, campaniformes, multifidi in lacinias diviſi coloris albi & purpurei; flori ſuc-

ſuccedit fructus ferè rotundus mollis, Ceraſum æmulans, niger, ſplendens, in duo loculamenta diviſus, continens ſemina placentæ affixa, & rotunda; radix longa, craſſa, albeſcens, in multos ramos diviſa; hæc planta creſcit in ſylvis.

Nomen. Belladona eſt vox Italica ſignificans *pulchram Domicellam* à formæ elegantia & à veneno, quod habet, ſic dicitur.

Vires. Hæc planta eſt venenatiſſima, nam ſi homo unicam baccam comedat, ilico convellitur, ſi plus, moritur, neque remedium contra hoc venenum notum eſt, ut triſtiſſimo caſu hic in Batavia contigit, ut pueri allecti pulchritudine harum baccarum comederit, & brevi ſuffocati mortui ſint, ſic & in Aula Hetruſca accidit, ubi tres pueri inde mortui ſunt, qua de re Hortulanus, cui juſſum erat has venenatas plantas cavere, ſuſpendio fuit plexus; unicum tantum eſt remedium, quod eſt mel cum aqua, in magnâ copiâ & clyſma ex melle & oleo; externè conducit in tumoribus reſolvendis.

Melongena.

Character. Caulis rotundus, rubicundus, lanuginoſus; folia longa, ampla, ſinuoſa, viridia, ſed lanuginem albam habentia, caulibus longis & craſſis adhærentia; flores monopetali, rotundi, quinquifidi, campaniformes; flori ſuccedit fructus mollis, globoſus, Pomum referens, ſolidus, politus, coloris purpurei, aut virideſcentis, conſtans pulpâ albâ carnoſâ ſucco præditâ, in loculos diviſâ, quæ ſemina albeſcentia, plana ut plurimum reniformia

con-

continent; radix in multas fibras longas dividitur, crescit in hortis.

Vires. Hæc planta reddit homines soporosos & furibundos, & ita dicitur quia homines inde insani fiunt.

Mandragora.

Character. Folia ex radice erumpentia, longa, in medio ampla, in fine angusta, polita, lucida coloris viridis subfusci, odoris ingrati; flores monopetali, multifidi, campaniformes; post florem sequitur fructus mollis, globosus, carnosus, continens semina compressa ut plurimum reniformia, radix longa, crassa, bifida, externè cinerea ferruginea, internè pallida, odore ingrato & viroso, caput feriente & narcotico, radix fere hominem refert, infernè duo crura habet, & si supernè leviter vulneretur, ab utroque latere tum excrescunt quasi brachia, & tum facile supernè in caput formari potest, unde dicunt auctores esse hominem subterraneum ob quam causam vocatur *Anthropomorphon*, ἄνθρωπος *homo* & μορφὴ *figura*, quasi *figura hominis.*

Nomen. Mandragora vocatur à μάνδρα *stabula* & γόρα *forum*, quia primæ mandragoræ fuerunt inventæ circa stabula vel fori tentoria.

Vires. Hæc planta loco clauso illata somnum conciliant iis qui dormire non poterant, hinc odore dicitur somnum excitare, radix per superiora & inferiora purgat cum violentia & virium prostratione & aliquando convulsionibus subsequentibus, fructus comestus dicitur exstingere, verum alii clari viri in Gallia publicè sine noxa ederunt baccas. folia cum

lacte in Cataplasmatis formam cocta conducunt in omnibus tumoribus scrophulosis & scirrhosis.

Phytolacca.

Character. Caulis crassus, rotundus, durus, rubicundus, in multos ramos divisus; folia inordinatim posita, ampla, venosa, polita, coloris viridis subpallescentis, aliquando rubicundi; flores rosacei, polypetali, in ramos dispositi; flori succedit fructus globosus, mollis, post maturitatem coloris rubri subfusci, continens semina rotunda, nigra, in orbem disposita; radix longa, crassa, alba, vivax post longum tempus; hæc planta crescit in Virginia.

Nomen. Phytolacca vocatur, à *φύτον planta* & *lacca*, quia ex hac planta fit color ruber instar laccæ.

Vires ejus nondum sunt cognitæ.

Cucubalus.

Character. Caules sarmentosi, flexiles, debiles, tenues, rotundi, nodosi, repentes, ex nodis suis erumpunt duo folia opposita mollia; finis pedunculi fit calix campaniformis, orâ quinquifidâ in centro calicis placentula, cui innascitur ovarium globosum instructum tribus longis tubis gracilibus est bacca mollis, nigra, fæta multis seminibus racematim congestis, ut plurimum reniformibus, nigris, politis; radix longa, exigua, sarmentosa, repens, fibrosa, alba; hæc planta crescit in regionibus calidis, ut in Hispania & Italia.

No-

Nomen eſt antiquum, & non ſcio virtutes habere.

Capparis.

Character. Folia rotunda, ſaporis aliquantulum amari; ſurculos agit, in quorum ſummitate habet parvos calices virides, qui ad condiendos carpuntur, ſi hi calices poſtquam ad magnitudinem requiſitam devenerunt, in planta relinquantur, tum dehiſcunt, & fiunt flores albi, roſacei, tetrapetali, expanſi, multis ſtaminibus donati; flori ſuccedit fructus pyriformis vel ſiliquoſus, carnoſus, in quo nidulantur ſemina plurima plerumque ſubrotunda, vel reniformia; radix longa, craſſa, ejus cortex eſt tubuloſus, rugoſus, craſſus, cinereus, ſaporis acris & auſteri.

Nomen. Capparis vocatur à *capite*, quia calices hujus arbuſculæ parva capita referunt; belgice *kappers.*

Vires. Radicis cortex imprimis laudatur, ubi aperiendum, roborandum eſt, hinc ad viſcera roboranda conducit, cortex, radix & fructus ipſe dicuntur morbis ſplenicis prodeſſe, fructus in menſa quoque adhibetur ad confortandum ſtomachum uti notum eſt; cortex vino albo infuſus eſt diureticus.

Vitis Idæa.

Character. Rami tenues, corticem viridem habentes; folia oblonga, ampla, in margine inciſa, ſaporis adſtringentis; flores monopetali, campaniformes, globoſo ovario innati, coloris albi ſubrubicundi, flori ſuccedit fruc-

tus parvus mollis, vel bacca umbilicata, plena ſucco, coloris cerulei ſubnigricantis, ſaporis adſtringentis ſubacidi, fæta ſeminibus exiguis albeſcentibus; radix lignoſa, parva, plerumque repens; hæc planta creſcit in locis aridis & incultis, ut in ſylvis & montibus.

Nomen. *Vitiæ Idæa* vocatur à *Vitis*, quia inſtar Vitis ſcandit, & ab *Ida*, & quia olim in monte Ida creſcebat.

Vires. Baccæ ſunt adſtringentes, conducunt in diarrhæa & dyſenteria, ex earum ſucco expreſſo rob conficitur, qui in iisdem morbis eſt optimus.

Moſchatellina.

Character. Ex radice erumpunt caules longi, exigui, molles; folia inciſa; finis pedunculi explicatur in calicem trilobatum, ſtellatim expanſum, ſtabilem; ovarium natum ex placentulâ, in centro pedunculi intra cavitatem poſitâ, habet in lateribus quinque tubas in apice quintum ovarium habet tubas modo quatuor, videtur quadriloculare, tetraſpermum; flores calici innati, ad latera poſiti, ſunt quinquifidi, monopetali, campaniformes, ſtaminibus decem inſtructi, quintus ſupremus eſt quadrifidus, & habens octo ſtamina; porro flores, ovariaque, ſemper quinque ſimul congeſta cubum referunt deficiente modô infimo latere; poſt florem ſequitur fructus mollis ſucculentus, continens quatuor ſemina; radix longa, alba, excavata, multis ſquamis canis dentem referentibus inſtructa, in parte ſuperiore multas fibras longas habens, ſapor eſt dulcis. Hæc planta creſcit in pratis.

No-

Nomen. *Moschatellina* vocatur à *Moscho*, quasi *parva planta odorem Musci habens.*

Vires. Radix hujus plantæ est resolvens, vulneraria & detergens.

Herba Paris.

Character. Caulis mediocriter crassus, rotundus, solidus, in parte superiori viridis, in inferiori rubicundus; folia in crucem disposita, oblonga, ampla, venosa, rugosa, aliquantulum acuta, nigricantia; calix quadrifolius, radiatim expansus; flores tetrapetali cruciformes, quatuor staminibus donati; flori succedit bacca mollis, globosa, quatur tubis instructa, in quatuor loculamenta divisa, coloris obscuri, odoris ingrati, continens semina oblonga, exigua, alba; radix longa, parva nodosa, repens; hæc planta crescit in sylvis.

Nomen. *Herba Paris* vocatur, quia omnium optimè dicitur venenum pellere, belgicè dicitur *Wolfs-besie*, *spinnekoppen.*

Vires. Hæc planta dicitur primarium medicamentum ad omnes morbos venenatos & pestilentiales curandos, hinc antidotis magnis compositionibus ut Orviatanæ theriacæ ingreditur; folia contusa & formâ cataplasmatis applicata conducunt in bubonibus pestilentialibus, aliisque tumoribus calidis, ut in paronychia & ulceribus inveteratis; in Mania est planta optima, ejus radix in pulverem redacta in Colica prodest, ejus aqua destillata convenit in inflammatione oculorum.

Anapodophyllon.

Character. Calix monophyllus, undique clausus, instar cucuphæ, floris crescentis mole ilicô excussus, utpote maximè caducus, restante unâ parvâ alâ; flos rosaceus, hexapetalus, petalis natis ex ambitu placentæ infimæ ovarii, unde & duodecim stamina, innascitur pedunculo ex foliorum alis orto, fructus ovatus, unicapsularis, in conum extensus, fætus seminibus subrotundis instructus tubâ mirabiliter fimbriatâ.

Nomen. *Anapodophyllon* vocatur ab ἀπὸ, *undique* πὸς *pes* & φύλλον *folium*, quia undequaque folia habet circa pedunculum, quod verum est, sed tamen à *Tournefortio* ita fuit dicta hæc planta, quia folium pedem Anatis refert.

Arisarum.

Character. Flore cucullato cætera Ari.

Colocasia.

Character. Caulis digiti crassitie; folia ampla, rotunda in parte inferiori nervosa, longis & crassis caulibus adhærentia succum aquosum & viscosum habentia, lævia, pedunculo in umbilicum folii inserto; finis pedunculi dat calicem monophyllum membranaceum, infra cavum, turgentem in ovalem figuram, supra in vaginam acutam, semi-patulam instar auris ovillæ explicatam, ex imo fundo calicis axis, cui circumnascuntur multa ova sphærica, baccata, singula instructa tubâ longâ, tenui, filamen-

menti inſtar, gerentia unum vel alterum ſemen ſubrotundum; eidem axi ſuprâ hæc ova circumcreſcunt ſtamina maſculina denſè ſtipata, ſuis teſticulis inſtructa; denique ſuprà hæc iterum tertia ſeries filamentis numeroſis eundem axim ornat, qui tum format pedunculum graciliorem purpureum; ille denique eminens in clavam longam, nigram plerumque abit; radix tuberoſa, craſſa, carnoſa, farinoſa, edulis, ſaporis Caſtaneæ; hæc planta creſcit in lacubus & paludibus præſertim in Egyptia & Alexandria. *Martialis* de hac planta canit.

Lenta minus gracili creſcunt colocaſia filo.

Vires. Dum hæc planta manducatur, os quaſi ab igne penetrantiſſimo afficitur, hinc habetur inter plantas alexipharmacas, & venena expellentes, verum hæc acredo miteſcit, ſi coquatur, ut quoque de Aris verum eſt.

Arum.

Character. Omnia ut in Colocaſia; folia verò oblonga, ampla, triangularia, aurita & ſagittata, ſplendentia, adnata pedunculo affixo in poſtremo foliorum; radix rotunda, tota alba, nucis avellanæ magnitudine; flos anomalus, monopetalus, auris aſinæ inſtar in medio eminet peſtillum, quod obſcænam figuram repræſentat.

Vires. Omnes hæ plantæ ſunt valde acres, ſic ut ſi paululum hæc herba manducetur, os exurat, hinc dicitur planta antiparaſitica, quia olim ſolebant principes gnatones

nimium edentes in primis esculentis dare hanc plantam, tum ob oris exustionem non magis edere poterant; radix ejus est penetrans, attenuans, purgans & hydragoga, *sydenham* laudat maximè hanc plantam, & testatur se hoc unâ herbâ plus effecisse, quam ullâ aliâ, ubi languor aderat, inde testatur, si vires Ari reticere voluisset, quod sibi maximo fuisset lucro, imprimis in scorbuto lento, ubi raro adhibentur, sed hyeme legi & cum gummi ammoniaco inde feci pilulas, quæ optime purgant, hinc in hydrope, melancholia & morbo hypochondriaco conducit; est medicamentum thoracicum & stomachicum optimum; radix viridis est valde acris, sed siccata acredinem amittit, in ictero & chlorosi est remedium optimum ut in febribus intermittentibus tussi inveterata & asthmate, ex foliis contusis fit conserva optima in cachexia, folia contusa prosunt ad ulcera vetustissima depuranda, est purgans optimum in morbis chronicis, uti & in herniis, parant quoque in Italia ex radice contusâ & diligenter ablutâ succum cerusæ similem, denique hæc herba ciet urinam, & viscerum obstructionem resolvit.

Arioïdes.

Character. Folia integra Cannacori æmula; radix quidem crassa, vix tuberosa, sed longa.

Saururus.

Character. Folia Arioïdea; flos apetalus, binis staminibus præditus, hermaphroditus; ovarium ovatum, molle, monospermon, tubâ

tubâ trifida instructum; flores & fructus in spicam longam, gracilem congesti;

Nomen. Saururus vocatur à σαῦρα *Lacerta* & οὐρὰ *cauda* quia caudam Lacertæ refert.

Vires eædem sunt ac in præcedentibus.

Dracunculus.

Character. Caulis crassus, rectus, habens corticem cutis serpentis referentem; folia profundè incisa in magnas, varias, profundas lacinias, angusta, polita, carnosa, splendentia, caulibus longis & fungosis adhærentia, cætera Ari, sed radix crassa, fere rotunda, carnosa, externè coloris flavescentis, internè albescentis, saporis dulcis; hæc planta crescit in locis umbrosis præsertim in reginonibus calidis.

Nomen. Dracunculus vocatur, quia caulis maculis quibusdam variegatus quandam serpentis similitudinem referre videtur, dicitur etiam *Polyphyllus* à πολὺ *multum* & φυλλὸν *folium*, quasi *planta multa folia habens.*

Vires. Apud Arabes hæc planta dicitur dare nutrimentum, sed tamen expertus nondum satis scio, hoc esse comprobatum, cæterum sapor est dulcis.

Plantæ Pomiferæ.

Hæ plantæ sic vocantur à Botanicis, ferunt enim fructum, qui habet corticem sub hac substantiâ quandam pulposam seu carnosam, & tum sub hoc loculos, qui constant placentis, quibus accrescunt semina

Mo-

Momordica.

Character. Caules exigui, ſarmentoſi, angulosi, ſtriati, ſcandentes; folia Bryoniæ, ſed minora, caulibus mediocriter longis adhærentibus, ſaporis amari & acris; flores monopetali, campaniformes quinquifidi, late expanſi, coloris flavi albeſcentis; poſt florem ſequuntur elegantes fructus longi vel rotundi, magis minuſve turbinati, cavi, carnoſi, elaſtica vi rupti, & ſemina explodentes oblonga vel ovata, rubicunda, obductâ calyptrâ planâ, margine denticulato; radix parva, fibroſa; hæc planta in hortis colitur.

Nomen ignoratur, dicitur etiam Balſamina mas, Balſamina, & poma balſami.

Vires. Si materiæ medicæ evolvatis ſcriptores, invenietis quod pomum maturum Momordicæ lentum habeat ſuccum, qui eſt ſapore ſubdulcis & balſamicus, Indi hoc ſolo ſucco oblito vulnera coaleſcunt ſine ſuppuratione, hoc oleum prodeſt, ſi internè aſſumatur, & dicitur ſanare ulcera, & detergere ibi, ubi manus accedere nequit, Zeylanenſes papinos ſeu herbam ipſam adhibent ad alvum laxandam, ubi purgare non licet, ut in morbis calidis ubi bilis peccat; fructus uſurpatur ab Indis ad emolliendum, dolores ſopiendos, vulneraque conglutinanda; folia contuſa in hæmorrhoidibus, combuſtione & hernis conveniunt.

Cucumis.

Character. Caules plurimi, villoſi, repentes; folia ampla, magna, angulosa, dentata, aſpe-

aſpera, repentia, flores monopetali, campaniformes, quinquifidi, flavi; poſt florem ſequitur fructus figuræ ſingularis & variæ teneritudinis, eſt enim oblongus rotundus aut tortuoſus carnoſus, edulis, mollis, viridis aut flaveſcens, verrucis aliquando præditus, corticem tenerem habens, teres in terna vel quatuor loculamenta diviſus continens ſemina oblonga, plana, alba, in medio paululum tumida ſeu convexa, candicantia, ad extremitatem acuta, Seminibus Melonum anguſtiora, corticem durum habentia, in quo latet amygdala dulcis, unctuoſa, ſaporis grati; radix fibroſa, alba, recta; hæc planta in hortis colitur.

Nomen. Cucumis vocatur ſive *cucumer* à *curvatura* quaſi *curvimer*, quia caules hujus plantæ incurvantur.

Vires. Si hæc planta læto ſolo creſcat, tum dat pulpam aquoſam glacialem, ſi verò rami pedibus calcentur vel lædantur, tum pulpa fit amara, ut pulpa colocinthidis & vomitum facit, ſemina inter refrigerantia majora recenſentur, ſi cum lacte inde emulſio fiat, convenit in omnibus ardentibus morbis; pulpa inter optima cibaria æſtate recipitur, quia refrigerat, hinc hoc medicamentum non adeo eſt vituperandum, ſi modo non abuſus fiat, nam in nimia ſanguinis tenuitate non convenit; ejus ſuccus eſt nitroſus, ſubacidus, glacialis, mucilaginoſus, emolliens, diureticus & refrigerans; ſi in jure carnium coquatur ut Galli faciunt, eſt optimum refrigerium, ſi verò ex cucumere matureſcente & putreſcente aqua deſtillata detur ad dragmam unam, alvum egregiè ſolvit; prima & ſecunda ſunt edules,

cum

cum aqua decoctæ hodie pro optimo nutrimento inserviunt fervida æstate biliosis & calidis, hæc planta abundat copiosissimo nitroso sale, tenuissima mucilagine tecto, habet vires emollientes & humectantes, unde in omni morbo inflammatorio, mictu sanguinis, asperitate, dolore renum à calculo & in expellendo sabulo pro optimo habetur remedio, fructus crudus non est adhibendus, quia ob phlegma viscosum non facilè digeritur, cortex est aliquando dulcis aliquando amarus, caro vel amarissima vel fatua.

Elaterium.

Character. Caules crassi, repentes, succum habentes, ramosi, villosi; folia Cucumeris, sed minora, magis albescentia, præcipuè in parte inferiori, magis carnosa, lanugine magis pungente & magis asperâ instructa, sine capreolis; flores Cucumere minores, sed monopetali, campaniformes, quinquifidi, coloris herbacei subflavescentis; fructus ovalis, Olivæ magnitudine, hispudus, hirsutus, in initio coloris viridis, post maturitatem flavescentis, habens succum viscosum, acrem, & virosum; hujus fructus paulo maturus cum crepitu dissilit, & semen in longitudinem sat distantem projicit ob vim elasticam; radix ejus est oblonga, crassa, alba, saporis acris nauseosi, odoris dum recens virosi; hæc planta crescit in regionibus calidis.

Nomen. Elaterium vocatur ab ἐλαύνω *agito*, quasi arcus tensus qui se restituit, vel etiam sic dicitur à fructu, qui si modo leniter attingatur, se per aliquod pedes dispergit & evanescit;

cit, quasi, sed fructus fere maturus prudenter inter pannos, vel in lagena, ut in ea se displodat, est carpendus, ne inde oculi afficiantur.

Vires. Ex fructubus fit succus Elaterii adeo laudatus Veteribus, *Hippocrati*, aliisque. *Theophrastus* dixit eum esse durabilem per ducentos annos, & tamen vim suam retinere, si pauca grana nempe tres vel quatuor assumentur, sursum deorsumque incredibiliter purgat, & hac ratione in quadam specie hydropis convenit, nam ille succus per totum corpus pererrat; pilulæ inde confectæ exhibeantur in Hydropicis, quibus viscera sunt robusta & adhuc integra, *teste Sydenhamo* & ipsa experientia; in apoplexia & lethargo convenit, in unguentis optimis pro hydrope ingreditur.

Melo.

Character. Caules longi, sarmentosi, repentes, asperi; folia Cucumeris, sed minora, rotundiora, minus angulosa; flores parvi, flavi; post florem sequitur fructus in initio aliquantulum villosus, ovatus & glaber, rotundus vel rugosus, magnus vel parvus, habens corticem durum, crassum, coloris viridis & cinerei; caro est tenera, medullosa, humida, glutinosa, flava aut rubicunda, odoris & saporis dulcis & valde grati; in terna loculamenta bifariam secta divisus, continens semina oblonga, plana, ex flavo albescentia habentia corticem durum fætum amygdala albissima, alba & oleosa hæc planta in hortis colitur.

Nomen. Melo vocatur à *vocabulo græco* μῆλον *pomum*, hinc propriè malum vel pomum significat,

nificat, quia ejus fructus Pomum refert, Itali dixerunt *Milo*, quia ex millenis, ut dicunt, vix unus bonus invenitur.

Vires. Caro Melonis dicitur esse fructus frigidus, sed experientia me coëgit credere contrarium, omnino enim quantum odor & sapor indicant inesse quid aromatici, quod à posteriori discimus, ergò est planta aromatica, facit enim, si nimiâ copiâ sumatur, ut homines sanguinem mingant, hincque est calefaciens, vixque aliquid plus in Venerem stimulat; optimo nutrimento inservit pulpa, si moderatè sumatur, sed jejuno ventriculo sumi debet. Semina recipiuntur inter quatuor semina refrigerantia majora, in his est lenta & farinosa vis, si Melo maturescat, tum succus fit aquosus ad alvum solvendam, ut de Cucumere dixi.

Pepo.

Character. Caules longi, sarmentosi, crassi, repentes in latum se extendentes cum capreolis; folia ampla, magna, incisa, dura, aspera, dentata, coloris viridis subfusci, splendentia, caulis longis, duris aut spinosis adhærentia; flores monopetali, campaniformes, lanuginosi, aliquantulum odorantes; flori succedit fructus oblongus vel rotundus, carnosus, corticem durum, aliquando tuberosum habens trifariam divisus, fætus seminibus planis, oblongis, annulo quodam cinctis, habent sub cortice amygdalam albam, dulcem, & gratam; hæc planta in hortis colitur.

Nomen. Pepo vocatur à græcâ voce πεπαίνεσθαι *maturescere*, quia hujus plantæ fructus facilè maturescit.

Vires.

Vires. Pulpa cocta cum jure carnium est optimum nutrimentum, sed si ejus usus nimis diu continuetur, tum reddere solet flaccida intestina, virtus est ut in Cucumere, hinc in calidis regionibus assumitur ad refrigerandum cum pauco aromate, biliolis summopere prodest, nam est humectans & refrigerans, semina inter quatuor semina frigida annumerantur, & in emulsionibus, decoctis aperientibus, pectoralibus & refrigerantibus adhibentur.

Melopepo.

Character. Fructus subrotundus, carnosus, striatus, angulosus in quinque partes sectus, continens semina compressa, placentæ spongiosæ affixa; reliquum est, ut in præcedentibus; hæc planta crescit in hortis.

Nomen. Melopepo, vocatur à *Melo* quia ejus fructus ad Melonis magnitudinem accedit, & *Pepo* & quia aliquid de ejus natura participat.

Vires sunt humectantes, refrigerantes & pectorales, semina inter quatuor semina frigida annumerantur.

Anguria.

Character. Caules sarmentosi, flexiles, teneri, repentes, villosi; folia ampla, magna, villosa, aspera, in profundas lacinias secta; flores flavi, campaniformes, quinquifidi; flori succedit fructus obrotundus, carnosus, habens corticem satis durum sed politum, caro Cucumeris, alba, aut rubicunda saporis dulcis & grati; habet in se pulpam medullosam, in

in qua latent ſemina oblonga, ampla, compreſſa, rugoſa, nigra aut rubicunda, ſeminis cortex eſt valde durus, & cortice ablato invenitur Amygdala parva, alba, medulloſa, ſaporis dulcis & grati; hæc planta in hortis colitur.

Nomen. *Citrullus* vocatur à *citreo colore*, quia ejus fructus maturus talem colorem poſſidet, *Anguria* unde dicitur, neſcio, belgicè vocatur *Watermeloen.*

Vires. Hac in terra ſuccus hujus fructus valde aquoſus aquam gelidiſſimam refert, & inde hic non aſſumitur, ſed in regionibus calidis, ut in India; verum ſi inde adferri curemus, antequam hic allatus eandem acquirit naturam, ac ſi hic creviſſet; ſemina inter quatuor ſemina frigida majora annumerantur, & inde conficiuntur emulſiones.

Cucurbita.

Character. Caules ſarmentoſi, longi, repentes aut ſcandentes cum capreolis; folia, ampla, rotunda, mollia, lanuginoſa, in margine aliquantulum crenata; flores albi, campaniformes, quinquifidi, villoſi; flori ſuccedit fructus longus, in aliis teres, in aliis lageniformis, in aliis inflexus in ſex loculamenta plerumque diviſus, fæta ſeminibus pallidis planis, oblongis, hinc obtuſis, inde latioribus & quaſi introrſum emarginatis, ſeu auriculatis duabus apophyſibus quaſi anguloſis eminentibus & duabus lineis per longitudinem excurrentibus notatis; hic fructus habet corticem durum, lignoſum, flaveſcentem; ejus caro eſt fungoſa, medulloſa, alba & inſipida; radix

dix tenera & fibrosa, distinguitur a præcedentibus præsertim, quod habeat corticem post maturitatem liquescentem & carnem intus magis fungosam; hæc planta in hortis colitur.

Nomen. Cucurbita vocatur quasi *curvata*, quia hæc planta, nisi sustinetur, semper incurvatur.

Vires. Indi ex fructu faciunt lagenas, semina inter quatuor frigida majora recipiuntur, hoc semen ultra annum non est asservandum, aliter fit rancidum. viresque priores pereunt, & evadunt inflammantes, pulpa non editur, semina ad obtundendum, inspissandum & demulcendum optimè prosunt, ut quoque Anguriæ, Melonis, & Cucumeris seminibus verum est.

Colocynthis.

Character. Caules repentes, villosi, asperi; folia caulibus satis longis adhærentia, ampla, in profundas lacinias secta, villosa, aspera, albescentia; flores flavi, pallescentes; flori succedit fructus levis, amarus rotundus, non edulis pugni magnitudine, ex flavo viridis, includens sub cortice tenui, polito & splendente medullam candidam, fungosam, levem & semina parva, compressa, oblonga, cucumeracea, quasi sordida, albicantia, saporis acris amari & nauseosi; hæc planta crescit in Indiis orientalibus.

Nomen. Colocynthis vocatur à *græco vocabulo* κολοκύνθη, quòd κοιλίαν κινεῖ *alvum movet*, vel Colocynthis, quòd sit κόλον κυνῶν, seu *esca canis sive cibus canum ob suam magnam amaritiem per Ironiam.*

Vires.

Vires. Fructus bene maturus deſcinditur, & ſuſpenſus exſiccatur, aliquando etiam ejus ſuccus exprimitur, & cum gummi tragacantha in trochiſcos cogitur, qui dicuntur Trochiſci de Alhandal qui fructus, trochiſci, pulpaque violentiſſimè purgant, frigidis & aquoſis eſt optimum remedium, ſi in nimiâ copiâ exhibeatur, dyſenteria ſubſequitur vix tollenda, niſi clyſmate injecto oleo, & oleo magnâ copiâ epoto, ſi trochiſci in phiala alta coquantur cum ſpiritu vini fit celebris illa aqua *Rulandi*, quæ ad unciam dimidiam egregiè purgat, & hydropicorum aquas educit; hæc planta inter purgantia vegetabilia validiſſima eſt, humores quoſcunque viſcoſos, pituitoſos & tenaces, qui cæterorum purgantium vim omnem eludunt, ex ultimis quaſi articulis provocat, & educit, hinc eſt tanquam catholicum medicamentum in morbis pertinaciſſimis, iſchiatico dolore & lue venerea, ingreditur clyſmata pro ſtimulo in ſubſtantia contra morbos ſoporoſos, ſed pulpa ſindoni eſt includenda, ingreditur multas compoſitiones pharmaceuticas,

Sicyoides.

Character. Folia cucumeracea, anguloſa; caules ſcandentes cum capreolis; flores monopetali, campaniformes, quinquifidi, radiis expanſi; fructus amygdali æmulus, carnoſus, echinatus, in capitulum collectus, & ſub tenui cute unicò ſemine plano fætus.

Vires non ſcio eſſe demonſtratas, ſed puto eſſe plantam venenatam.

Granadilla.

Character. Caules longi, tenues, repentes; folia polita, nervosa, in margine dentata, alternatim disposita, odoris penetrantis, saporis aliquantulum acris; calix primò triphyllus, ex hoc pedunculus brevis & ex eo calix quinquefolius, arctè florem primò amplectens, dein stellatim expansus, hinc calix est in variis speciebus valde differens, in aliis herbaceus, in aliis verò reticulatus; flos albus, pentapetalus, rosaceus, elegans stellatim expansus, intra petala in orbem expanduntur multa versicolorata filamenta, dein erigitur axis, cui primò circumaccrescunt in orbem expansa quinque stamina, testiculis appensis & versatilibus, prædita, dein ovarium ovatum, cujus apici innascuntur tres tubæ apicibus scabris, obtusis præditæ versus testiculos suppositos sese inclinantes; fructus ovatus vel globosus, carnosus, unicapsularis, trilocularis, succum acidiusculum continens, fætus seminibus ad costas, ut ad placentas affixis, calyptrâ obvolutis, odoris grati; radix repens, nodosa, fragilis, fibrosa, coloris pallidi albescentis, saporis subdulcis; hæc planta crescit in nova Hispania.

Nomen. Granadilla est diminutiva vox Granadæ, & ita dicitur, quia fructus hujus plantæ plenissimi sunt seminibus, vocatur etiam *Flos passionis*, quia si imaginationi aliquantulum concedetur, omnia instrumenta passionis *Christi* habet, hinc *Rapinus* canit.

Ferventes etiam tum Granadilla per æstus
Prodit, Amazonii quam litore fluminis ortam
Ad nos extremo Peruvia misit ab Orbe.
Flos alte incisas crispato margine frondes,
Caule in sublimi, vallo prætendit acuto,
Spinarum in morem, patiens ô Christe, tuorum
Inscriptus foliis summa instrumenta dolorum.
Nam surgens, flore è medio, capita alta tricuspis
Sursum tollit apex, clavos imitatus aduncos.

Vires habent refrigerantes & nutrimento optimo inserviunt, primæ & secundæ succus est suavissimi saporis & vinosus, sed aliquid acidi habet; hinc est refrigerans.

Opuntia.

Character. Folia magna, longa, crassa, viridia, dura, tuberculis spinosis instructa, succum habentia, viscosa, nervosa; flores rosacei, flavi aut rubri; petalis plurimis in orbem positis constantes, innati apici ovarii, numerosissimis staminibus præditi; ovarium, cujus apex in ambitu speciem caliculi fert, fit fructus carnosus, umbilicatus, unicapsularis, excavatus, pulpam medullosam, rubram, saporem dulcem habens, fœtus seminibus sæpe annulatis, saporis non ingrati; hæc planta crescit in Italia & Gallia. Si ab his unum folium humi mandetur, crescit, datque novam plantam; flos in omnibus est hermaphroditus, hæc tota planta foliis constat fertque ficus edules, quæ ab hominibus amantur.

Nomen. *Opuntia* vocatur, quia *Theophrastus* ſcribit hanc plantam circa *Opuntium* creſcere.

Vires. Hæ plantæ ſunt peſſimæ, inſidioſiſſimæ & ſpinoſæ, ita ut ſi quis has tractet, per diem ſpinulas è manibus evellere nequeat, virtus fere eſt eadem ac in præcedentibus, ſi verò hi fructus ſint ficus, tum contrarium habetur, quod legitur in Evangelio, quod ficus non legantur de ſpinis, verum tamen eſt aliqua differentia inter ficus & hos fructus; hos fuctus nimiâ copiâ edentes accipiunt urinam ruberrimam.

Melocactus.

Character. Caules craſſi, ſtriati, lanuginoſi, anguloſi, ſpinoſi, ejus habitus eſt ſingularis, ſucculentus, echinatus polygonus; flores monopetali campaniformes, tubulati, nudi, multifidi, ovario inſidentes, intus gerentes multa ſtamina; ovarium eſt carnoſum, molle, fungoſum, pulpoſum, fætum multis ſeminibus parvis, oblongis; fructus hujus plantæ ſunt edules; hæc planta creſcit in ſaxis duriſſimis, quæ nullas habent rimas, præſertim in regionibus calidis ut id gallia.

Nomen. *Melocactus* vocatur, quia Melonem refert, & quia ſpinoſa eſt, dicitur etiam *Echinomelocactus*, quia ſuis ſpinis Echinum refert.

Vires. Ejus fructus eſt edulis ſapore ſubdulci, ſed pleniſſimus granulis arenoſis.

Ananas.

Character Folia Aloës Americanæ angustiora; fructus coronatus, carnosus, solidus, tuberculis plurimis ornatus, gratissimus, succulentus, fœtus seminibus exiguis; flos monopetalus, tubulatus, infundibuliformis, in tria sepimenta distinctus; fructus tuberculis innascens exiguus; semina inter corticem recondit carneque tegit; radix vivax, crassa. Septima est Ananas Americana spinis rubris foliis angustioribus. Octava foliis longissimis hamatis, succum deorsum spinis fructu maximè, qui præbet nutrimentum. Nona est Ananas Americana foliis Aloës ut dictum est.

Vires. Omnes hæ plantæ apud auctores non describuntur; fructus succum habet, qui sapore vinoso & suavi omnes plantas superat, unde Americani dicunt, quod sit omnis suavis saporis compendium, nec potui ipse meliorem saporem invenire, sed relinquit quandam speciem doloris, at non ingrati, quasi aciculis lingua esset tacta, hinc concludo succum esse penetrantissimum, ideo ab ejus abusu Itali nonnunquam sanguinem mingentes in dysenteriam incidunt, at merus sanguis fluit, quæ verò dysenteria post longum tenesmum mortem creat, puto verò hoc fieri à nimio, usu, hæc acredo corrigitur, si pomum in aqua vel vino aliquamdiu maceretur, vel sale vel aceto perfricetur, tum innoxiè sumitur, & mictum sanguineum non causat, succus dicitur esse frigidus, sed contrarium obtinere puto, & credo, si ille succus abundaret, nos inde morbos melancholicos curare posse, nam exis-

timo,

timo, illum optimè resolvere, verum nimis pretiosus & rarus est; mulieribus gravidis est valde noxium medicamentum.

Plantæ Apetalæ.

Flos petalis constans dicitur, quia habet unum folium vel diversa segmenta foliacea, vel florida, quæ dicuntur petalæ, quia sunt caducæ, ventoque facilè difflantur, apetalæ jam dicuntur seu stamina sola, quæ florem quidem habent calice & staminibus præditum, nullis verò petalis flosculi harum plantarum petalæ quidem repræsentant, sed habemus illa pro calicis segmento, quæ deciduis staminibus semina perfecta manent, idque amplectuntur, calix dicitur; si verò deciduis staminibus prius cadant dicuntur petala. Vocantur hi flores etiam staminei, quia loco foliorum flosculorum solent in calice filamenta contineri, oblonga stamina dicta.

Rhabarbarum.

Character. Ineunte vere protrudit hoc Lapathum dictum Rhabarbarum, caput rotundum fuscum ex radice crassa, fungosa, lutea, quod expansum sese dilatat in plurima folia, paulatim sese explicantia, primô multum crispata & in se complicata, subrubra quæ omnino dilatata levia evadunt, ampla fere rotunda, crassa, caulibus longis, crassis & nigricantibus adhærentia, singula singulis bipedalibus pediculis innitentia, pollicem crassis, quæ magnitudinem adepta in folio pingui & humenti bipedalem etiam acquirunt longitudinem & la-

titudinem fere parem; coloris ſunt ſaturatè virentis, guſtus acuti: in medio hujus foliorum ſecundo aut tertio anno protruditur caulis craſſus, non tam altus quam Lapathi hortenſis Patientia dicti caulis, quem amplectuntur folia minora, rotunda etiam: in ſummis caulibus ſpicatim proveniunt flores herbacei, exalbidi, hexapetaloïdei in limbo exteriori muſcoſi, herbacei in medio, ſingulis floribus deciduis ſuccedunt ſingula ſemina triangularia, ſplendentia, ſubflava, ruffave, tribus foliolis vice capſulæ aliorum Lapathorum more incluſa; procedente tempore radix grandeſcit, multis propaginibus inde propendentibus ornata, oblonga, tuberoſa, circularibus zonis rugoſa, tuberibusque inæqualis, communiter ponderoſa, colore eſt rubente extra, intra verò flaveſcente: ablato cortice exteriori radix apparet ſublutea multis venis rubicundis ipſam percurrentibus: ſaporis eſt amaricantis & lenta viſcedine ſubadſtringentis, nauſeoſi odoris, pontici debilis; hæc radix diligenter exſiccata flavum retinet colorem, atque maſticata ſalivam flavo itidem colore tingit.

Nomen. Rhabarbarum vocatur à *Tournefortio* quaſi *radix apud Barbaros creſcens*, ſed mihi magis arridet illa denominatio, quæ a loco natali ſpecialiori vult nomen deductum, creſcit enim hujus ſpecies quædam ad Wolgam Ruſſiæ magnæ illud flumen quod olim Rha dictum eſſe plurimi teſtantur Geographi. Hujus itaque fluminis nomine & vocis *Barbarus* compoſitione plantæ noſtræ appellationem exiſtimant; quia hanc radicem à barbaris locis accipiebant; non loquitur hic de illa quæ ad flumen Wolgam creſcit, & Rhabarbarum muſcovi-

coviticum dicitur, ſed de Lapatho præſtantiſſimo rotundi folio, aliter Rhabarbarum Officinarum dicto, quod ex china ſeu ſina advehitur, hæc planta vario nomine apud auctores invenitur, *Rhabarbarum forte Dioſcoridis & antiquorum*, *Rhaponticum Rha verum antiquorum*, *Rha & Rheum Dioſcoridis*, *Rhabarbarum officinarum*, *Hippolapathum Thracicum* vel *Rhabarbarum*. *Neuhof* refert hanc radicem à mercatoribus Tibetenſibus & Mogorenſibus ex china peti poſtea Europæis vendi mercatoribus, *Clariſſimus Tournefort* ad herbas flore monopetalo, campaniformi, cujus piſtillum in unicum ſemen abit, hanc refert, hinc ipſi plantæ proprium aſſignans genus eam à Lapathis plane ſeparando. Magis igitur appoſite *celeberrimus Johannes Rajus* hanc cenſet referendam ad Lapathi genus, non enim poſſum, quin cum hoc ipſo plantam hanc ad herbas flore apetalo monoſpermas, Lapatha dicta referam; quoniam uno floſculo excepto cæteris omnibus characteribus cum Lapatho convenit, radice, foliis, caulibus, fructu, modo creſcendi, odore, ſapore, vi medicata perfecte idem, præſertim cum ſemine, id quod & optimè demonſtravit *Moriſſon*, qui in re Botanica valde fuit clarus. Radicis bonitas verò cognoſcitur, ſi pinguis ſit, facilè molleſcat ſub dentibus, ſi non alba, nec nigra, ſed crocea ſit in aqua trita, ſi in butyro reſolvatur; hæc radix hyeme incipiente effoſſa & in taleolos ſciſſa trajecto filo in umbra ſuſpenditur & exſiccatur, tum per ſex annos bona manet, hæc guſtata exhibet ſaporem adſtringentem, acerbum vel auſterum.

Vires. Folia decocta leniſſime alvum ſolvunt,

vunt, ſcorbuto reſiſtunt, & robur conciliant ſolidis, Veteres dixerunt radicem hujus plantæ eſſe unicum purgans, quod in morbo dari licet, & quidam octuagenarius dicit ſe ab omnibus medicamentis quidem eſſe deceptum, ſed non Rhabarbaro. Aſſerunt nonnulli eam valere ad bilem vitioſam corrigendam, ſimileſque affectus chronicos tollendos; hæc radix conſtat partibus ſubtilibus, hinc vadit per ſubtiles ſanguinis partes, & tingit urinam croceo colore, ſi enim manè grana decem aſſumantur, tum urina redditur crocea & odor Rhabarbari illi fuit communicata, partes ergo habet tenaciſſimas, quo ad colorem, hinc conducit ad expurgandum ſanguinem à volitante ſpurcitie, ad renes ſaburra liberandos, & lubricoſa pituitoſa, grumoſa ſolvenda, in omni extravaſato ſtagnante ſanguine eſt optimum remedium, magna perhibetur ejus vis in calculo, hydrope & ictero aliisque hepatis affectibus à vitioſa bile oriundis, laudatur ad inflammationem, ſtomachi imbecillitatem, & omnes ejus dolores, convulſa, lienoſos, hepaticos, nephriticos, tormina veſicæ, & thoracis vitia, præcordiorum diſtenſiones, uteri affectiones, coxendicum dolores ſanguinis ſputationes difficiles, ſingultus, dyſenterias, cæliacas paſſiones, circuitus febriles & venenatorum morſus; tollit etiam livida & impetigenes cum aceto illitum; hæc radix in contuſis ſummum eſt remedium, primas vias expurgat, poſt purgationem inteſtina roborat, in purgandis infantibus laxis fibris præditis eſt egregia radix, jure merito tantopere laudatur in dyſenteria & dyarrhæa, quacunque, quæ oritur à ſcirrhoſâ & cancroſâ naturâ, ſi detur

ad

ad ſcrupulos duos , grana decem omni mane aſſumpta (ut tantum purgare poſſit) eſt ſummum deobſtruens in morbis antiquis hypochondriacis, ſcorbuticis, languorem viſcerum reſolvit & fibras obſtructas roborat, hujus radicis vis ex ſale ſubtiliori acri mulilaginoſis & terreis particulis mixtis conſtat, acres iſtæ ſalinæ particulæ prout magis vel minus à mucilaginoſo & terreo involucro, cui antea quaſi implicatæ hærebant, ſolutæ ſunt , eo magis vel minus etiam ſtimulant. Nonnunquam & tantum motum excitant, ut hepar ipſum imprimis verò veſicula fellis prematur, unde tum duplex poteſt excerni bilis, quo ipſo &, quod ſupra dictum, in Ictero ejus magnum eſſe vim, confirmatur iterum. Vim autem purgantem in ſale ipſius , neutiquam verò in reſina vel oleoſis conſiſtere particulis, ex ejus Tinctura patet. Hæc enim aqua extrahitur, aquam verò nec reſinoſa nec oleoſa unquam ſolvere Chymia clarè demonſtrat, præterea quæ cum ſpiritu vini extrahitur Tinctura , non tanta vi purgat, quam aqua extracta; imo aqua ubi miſcetur, non lacteſcit , quod tamen omnibus aliis Tincturis, quæ ex oleoſis & reſinoſis extrahuntur, accidit. Notandum denique venit, particulas ſalinas ita diſſipatas eſſe , vel ea quantitate liquidorum diſſolutas; ut vim ſuam exercere nequeant; hæc radix ætate ſiccata omnem vim purgantem & acredinem amittit, ejus odore ſolo quidam ad ſedes moventur , & per coctionem amittit purgantem virtutem; conducit in Gonorrhæa , urinæ ardorem temperando, malignitatem expellendo, fluxumque ſiſtendo in ſubſtantia præſcribi ſolet a dragmâ ſemis uſque ad dragmas duas , doſis

extracti est dragmæ duæ, Tincturæ verò dragma una; hæc radix tosta vel exsiccata adstringit, & in dysenteria non minor est virtus, quam quidem terræ sigillatæ, & cum nuce moschato, laudano opiato fluxus alvi commodissimè inhibetur vi adstringente ejus se ubique exserente, imo in hæmorrhagiis narium similibusque casibus ipsam adhibuit *Pechlinus* vertiginosis aliquando nocet hæc radix; vermes necat, & multas compositiones pharmeceuticas ingreditur.

Lapathum.

Character. Caulis striatus, rubicundus, in summitate in multos ramos divisus; folia magna, longa, ampla, acuta, mollia, coloris viridis obscuri caulibus longis & rubicundis adhærentia; flores juxta ramos dispositi, multis staminibus constantes; finis pedunculi intra calicem dat placentulam, illi innascitur ovarium triquetrum tribus tubis, apice eleganter fimbriato, quæ lateraliter eminent extra segmenta capsulæ; semina triangula, splendentia in capsulâ membranosâ inclusa; radix magna, externè fusca, internè flava, aut crocea, multas fibras habens, hæc planta crescit in montibus, & in hortis colitur.

Nomen. Lapathum vocatur à *græco vocabulo* λαπάσσω *evacuo*, quia radix hujus plantæ alvum movet, dicitur etiam *Hippolapathum* ab ἵππος *equus vel ut hoc sensu magnus* & *Lapathum*, quasi *magnum Lapathum. Patientia* quia ejus est lenta vis; *Rhabarbarum Monachorum*, quia à Monachis Rhabarbari loco adhibetur.

Vires. sunt paulo debiliores Rhabarbaro, ta-

lis

lis tamen eſt vis in Patientia, ut hoſtem ſuum devincere ſolet, radix quotidiano uſu efficit, ut quidquid maligni hæret, id leni & lento ſuo motu reſolvat, à putredine arceat, & fibras roboret; radix raſa & in cereviſia ad uncias duas decocta eſt optimum remedium, ſi per menſes hoc decoctum aſſumatur, præſertim ubi ſanguis in putredinem vergit, hinc homines inde quaſi rejuveneſcunt, iterum ſi modò per longum tempus dragma una cum uncia una aquæ per noctem infuſa mane propinetur. *Muntingius* demonſtrat, tertiam eſſe Britannicam Veterum Tincturam in Belgiam miſſam ad belgarum morbos in ſtomacho debellandos, unde dicuntur aliter periiſſe, qui morbus fuit ſcorbutus, in hoc caſu egregium ejus effectum vel millies fui expertus, ſi enim ſit fætor, halitus putridi gingivarum vel dentes vacillantes, tum radix ad unciam dimidiam in ſcobem redacta & cum vino cocta aſſumitur, vel inde gingivæ & fauces laventur. Quinta vulneribus applicata ſanguinem ſiſtit, cocta & epota hæmorrhagiam ſiſtit, in mictu cruento & ſputo ſanguineo egregia eſt planta, maximè ſi paululum uſtuletur, optimè omnia Lapatha in ſubſtantia uſurpantur, in Diarrhæa & Dyſenteria conducit. Undecima dicitur ſanguis Draconis, quia ſtigmata rubra quaſi ſanguinea hinc inde habet, eſtque hæc planta adſtringens, & ſumitur ſuccus in omni morbo, ubi Rhabarbarum & Patientia laudavi hæc planta dicitur omnes fluxiones & hæmorrhagias ſanare, ſi hæc planta cum aceto incocta locus cum hoc decocta lavetur vel cum melle edulcorata planta potetur.

Acetosa.

Character. Folia oblonga, viridia, splendentia, succum acidum habentia, cætera ut in Lapatho, nisi sapor acidus in caule & foliis. Hæc planta in hortis colitur.

Nomen. *Acetosa* vocatur *ab aceto*, quia hæc planta habet saporem acidum; dicitur etiam *Oxalis* ab ὀξὺς *acidus* ob eandem causam.

Vires. Usus hujus plantæ est maximus in Medicinâ & præstantior Lapathis, ejus sapor est acidus; si succus expressus, coctus, bene depuratus & inspissatus in loco subterraneo reponatur, oritur sal acidus, stimulans & purgans, qui adstringit & roborat, & in omni morbo, ubi febris ardens putrida & continua adest, convenit; folia vel radices decoctæ in sero lactis recentis optimæ sunt contra omnes morbos lentos in genere, ubi nimia est acerbitas in putredinem tendens, ejus conserva syrupus & aqua sunt in usu, nulla planta felicius corpus purgat à fæcibus hyberno tempore collectis; ejus folia ad manipulum unum in pinta una seri lactis decocta, & refrigerata est opmum medicamentum Mense Aprili, denique primaria ejus vis est in scorbuto expugnando, si scilicet hæc planta recens comedatur vel ejus succus potetur, fætidum anhelitum, dentium vacillationem, & gingivarum putredinem arcet, optima est herba in omnibus, ubi sanguis est nimis fluidus, vasa laxa, in omnibus qui in Phtisin proni sunt, & in sputum sanguinis incidunt, si succum hunc assumant, egregiè curantur, externè etiam adhibetur, nam in sordidis ulceribus convenit, folia cum butyro insulso

ſulſo contuſa & anthracibus in gangrænam tendentibus impoſita ſummi ſunt uſus, decocta adhuc melius præſtant; hæc herba appetitum excitat, & ſitim ſedat, hinc conducit in febribus. Undecima dicitur βȣκεφαλήφορος à βȣ̃ς *bos* & κέφαλη *caput*, quæ ſpecies vires Lapathi habet, niſi quod ſimul acidum accedat, & hinc plus adhuc putredini reſiſtunt hæ plantæ, hinc magis conveniunt quam præcedentes in omnibus morbis, ubi nimia ſanguinis ichoroſitas adeſt; folia cum vino contuſo ſunt optima ad dentes vacillantes in ſcorbuto lavandos; aqua ejus deſtillata ſal & ſpiritus nullius ſunt uſus.

Biſtorta.

Character. Folia ex radice erumpentia, longa, ſatis ampla & acuta Patientiam referentia; Caules rotundi; calix monophyllus, membranaceus, geminus, unus alteri ſuppoſitus, inſtar vaginæ, ex fundo hujus pedunculus, cujus fine deinde adnaſcatur flos monopetalus, in ſegmenta profundiſſimè ſectus, & ſtaminibus octo præditus, in denſas & longas ſpicas congeſtus, in fundo hujus floris invenitur ovarium triquetrum, inſtructum tubâ longâ, triplici, continens poſt maturitatem ſemina triangularia & ſplendentia; radix carnoſa quaſi tuberoſa & geniculata ſeu nodoſa oblonga, pollicem craſſa, in ſe contorta, capillitio donata, foris ex ſpadiceo nigricans, intus ex flavo rufeſcens, ſaporis auſteriuſculi adſtringentis, odoris nullius. Hæc planta creſcit in locis humidis.

Nomen Biſtorta vocatur, quia radix in varios gyros torta eſt.

Vires. Hæc planta à virtute adſtringente laudatur quam maximè ita, ut nullum medicamentum ſcopo adſtringente præſcribatur, quin ingrediatur Biſtortæ & Tormentillæ radix, quæ pari paſſu ambulant, ſic ut hic habeamus maximum roborans & adſtringens, ita ut in omni morbo, ubi ſtatim Rhabarbarum & Herbam Patentiæ laudavi quoad partem adſtringentem, conveniat, ſi verò cum aceto vel vino coquatur, tum hoc decoctum eſt optimum ad dentes vacillantes lavandos, & hoc modo dentis tormenta à laxitate curantur, ſi decoctum ad locum accedere poſſit, hinc in omni morbo convenit, ubi nimia fibrarum laxitas adeſt, ut in Diabete humorum, in Hæmorrhagiis, in fluxu menſium nimio, mictu ſanguineo, in vomitu, diarrhæa & præcavendo abortu.

Perſicaria.

Character. Caules rotundi, excavati, rubicundi, ramoſi, nodoſi, folia Perſicam referentia, aliquando maculata, aliquando non; flores ſpicati in ſummis caulibus & rami, longis pedunculis adhærentes, quinque ſtaminibus donati, coloris purpurei aliquando albi; calix quadrifidus fit capſula ſeminis adulta, alii pro flore tetrapetaloïde habent: ſtamina ſex. Ovarium in centro calicis, compreſſum, ovatum vel orbiculare, tubâ bifidâ, fimbriatâ præditum. Semen planum ex ovato acuminatum, nigricans; membrana caulem ſuccingens ad egreſſum foliorum & ramulorum ex adverſo folii; radix fibroſa; hæc planta habet ſaporem in acidum vergentem, & creſcit in locis aquoſis.

No.

Nomen. Persicaria vocatur, quia ejus folia Persicam referunt. Sexta dicitur *Hydropiper* ex ὕδωρ *aqua*, & πέπερι, *piper*, quasi *planta aquatica saporem piperis habens.*

Vires. Prima à *Boyleo* est commendatissima, ut planta ad calculum frangendum incomparabilis; sic erat in Anglia vir quidam, qui omnes à calculo curabat, ille usum hujus herbæ ejusque succi habuit pro suo arcano, & inde curavit Nephriticos, ex herba contusa aqua destillata etiam utebatur; sed absque ullo successu hoc etiam tentavi; folia decocta conducunt in diarrhæa dysenteria & in omnibus morbis cutaneis. Cum *Paracelsus* videret in secunda & tertia maculas impressas, dicebat, has maximè conducere in vulneribus, si dorso equi imponantur, nunquam ab ephippio atteretur, hæc planta est adstingens, vulneraria febrifuga, convenit in sputo sanguineo, fluxu nimio hæmorrhoidum, menstruorum, in fluxu albo, folia contusa in hæmorrhagiis narium externè conveniunt; sexta est planta urentissima, & masticata fulminis instar quasi ictu linguam tangit, si folia contrita cuti imponantur, inflammant & exulcerant instar escharotici, ulcera deterget & depurat, si aliis temperetur, calefaciens est; ob nimiam suam acrimoniam temperatur passulis, tum conducit in hydrope, ictero & omnibus obstructionibus viscerum, in chirurgicis est optimum medicamentum ad tumores ædematosos dissipandos, si folia decocta fomenti instar calidè applicentur.

Polygonum.

Character. Caules longi, tenues, rotundi, ſolidi, tenaces, plerumque repentes, creberrimè geniculati; folia oblonga, anguſta, acuta, viridia, caulibus brevibus adhærentia & alternatim diſpoſita; calix quinquifidus, profundè ſectus, ſegmentis infra herbaceis ſupra colore floſculoſo, per maturitatem fit capſula ſeminis. Flores parvi ad foliorum alas oriuntur, ſub membranulâ tenuiſſimâ primo in ortu tacti. Semen perfectè triangulare, ſat craſſum, coloris Caſtaneæ; radix longa, ſatis craſſa, ſimplex, dura, lignoſa, fibroſa, valde repens, ſaporis adſtringentis. Hæc planta creſcit in locis incultis præſertim juxta vias.

Nomen. Polygonum vocatur à πολὺ *multum* & γόνυ *genu vel tubera*, quia multos geniculos vel tubera habet, dicitur etiam *Biſtorta*, quia ejus radix ut in Biſtorta in varios gyros contorta eſt; vocatur etiam *Centinodia* à *centum* & *nodus* quia multos nodos poſſidet, *ſanguinaria vel ſanguinalis* à *ſanguine* quia eſt planta optima ad ſanguinem ſiſtendum.

Vires. Hæc planta eſt optima in omni adſtrictione vaſorum, hinc conducit in hæmorrhagis, ſanguinis ſputo, diarrhæa, dyſenteria, fluxu nimio hæmorrhoidum, & vomitu, folia contuſa conveniunt in vulneribus; externè applicatur manuum carpis ad æſtus febriles tollendos.

Fagopyrum.

Character. Caulis rotundus, mollis, excavatus, rubicundus; folia in initio obrotunda, poſtea anguloſa, Hederam referentia, ſed minora; calix pentaphyllus, florum petala colore atque expanſione radiatâ fingens, fit ſeminis capſula, ubi maturuit; flos parvus, albus, in ſpicis vel racemis aut muſcariis habet octo ſtamina; ovarium in calicis fundo innaſcitur in placentâ eleganter globulis in orbem poſitis ornatâ, eſt triquetrum, emittens tres tubas, fit ſemen triquetrum nigricans, farinoſum, intus album; radix fibroſa annua. Hæc planta undique colitur.

Nomen. *Fagopyrum* vocatur à *φάγω edo* & *πυρὸς frumentum* quia eſt frumentum edule vel à *fago arbore*, quia triquetras unculas habet, belgicè dicitur *Boekwydt*, nominatur etiam *ſaracenicum frumentum*, quia hæc planta olim apud Saraſenicos magnâ copiâ creſcebat.

Vires. Hæc planta eſt benigniſſima & ſupplet defectui tritici, hoc commodi habet, quia creſcit in loco, ubi ſecale & frumentum non creſcere poteſt nempe in locis aridis & arenoſis. Semina contrita & decorticata dant farinam æquè bonam ac ſecale, quæ facillimè fermentata digeritur, unde multis debili ſtomacho præditis laudatur, ejus farina cum lacte ebutyrato cocta bonum in morbis dat nutrimentum, ſi farina cum aquâ decoquatur in craſſam ſubſtantiam habetur pro optimo antipyretico, & in inflammatione mammarum puerperarum egregii eſt uſus.

Atriplex.

Character. Folia ampla, acuta, Betam referentia, ſed minora, molliora, pulverem ſubfarinaceum habentia, coloris pallidè virentis, ſaporis inſulſi; calix pentaphyllus; flores parvi, flavi, monopetali, quinquifidi, aliis ſtaminibus quinque præditi, in centro ſemen orbiculatum, planum, vel quodammodo ovatum ſaporis dum recens nidoroſi ut capſula involutum, in iis ubi flos fructui contiguus. Vel ovarium ſubrotundum tubis ſuis inſtructum arctè comprehenditur à duobus foliis angulatis ſeu cordiformibus, planis, in iis ubi flos mas à fructu remotus eſt; radix recta, longa, fibroſa; hæc planta colitur in hortis.

Nomen. Atriplex dicitur à *Columella auctore latiniſſimo & græco* eſſe vocabulum græcum ab ἀτρὰφαξις quaſi *ſubito creſcens* nonnulli dicunt *Halimi* ab ἅλς *mare*, quia circa mare creſcunt.

Vires. Prima habent virtutem laxantiſſimam, humectantem & oleraceam, & tres primæ in uſu culinario ſunt, maritimæ alliciunt aviculas, quæ hac herba depereunt, ita ut ab iis vix cavere poſſimus, ſi ponatur, ubi aviculæ ſunt, nam omnia folia floresque decerpunt, folia habent ſuavitatem, & paſſeres ſæpe decipiuntur, dum horum comeſta plumis ſpoliantur; tres priores dant oleum emolliens, ſatis nutriens, ſed ſtomachum gravans, in clyſteribus & Epithematibus paregoricis Antipodagricis adhibetur hæc planta; in ictero prodeſt, dum bilem obtundit & evacuat; ejus folia cum nitro, melle & aceto contrita & externè appoſita podagricis proſunt. Accuſatur hæc her-

ba

ba à *Pythagora*, quod hydropicos homines faciat & regium morbum inducat.

Chenopodium.

Character. Caulis craſſus, rectus, ramoſus; folia longa, ſinuoſa, coloris viridis ſubfuſci, ſplendentis, odoris penetrantis; calix quadrifidus vel quinquifidus, profundè inciſus, ex eo ſtamina octo vel decem in fundo calicis, ovarium tubâ longâ, bicorni, expanſâ præditum, quod maturum intra quinquifidam, vel quadrifidam quaſi ſtellam reconditum, fit ſemen orbiculatum, planum, & parvum; flores in racemos congeſti, quinque vel ſex ſtaminibus donati; radix lignoſa & fibroſa; hæc planta creſcit in locis incultis.

Nomen. Chenopodium vocatur à χὴν χηνὸς *anſer* & πὄς *pes*; quia folia pedem anſerinum referunt; prima dicitur *Bonus Hënricus.*

Vires. Folia emolliunt, dolores ſopiunt, & ſuppurationem matureſcunt; ob fætorem dicuntur prodeſſe ad paſſiones hyſtericas, ſi folia primæ maſticentur, ſentitur in os diffundi neſcio, quid balſamici, vel ſi cruda vel cocta in conſervam redacta aſſumantur omne acre mitificat, fibras rigidas arefactasque laxat, Phtyſicis in jure folia decocta proſunt, externè in Emplaſtris & Cataplaſmatibus dolori ſopiendo dicatis adhibentur, folia contuſa & vulneribus impoſita ea conſolidant, ulcera ſordida depurant, Sexta easdem vires habet ac Atriplex. Decima Italis dicitur *Belvedere*, quia amænitate ſua viridi valde ſe recommendat, imprimis ſi flores habeat. Undecima eſt Botrys Officinarum, hæc eſt optima planta contra con-

convulsionem, epilepsiam puerorum omniaque similia mala, est verò planta suaveolentissima, & penetrantissima, sed tamen acris *Botrys* vocatur à *βοτρυς racemus*, quia ejus flores & semina instar racemi uvarum sunt congesta, *Ambrosioïdes*, quia fundit odores similes Ambrosio, ejus vis est commendatissima ad omnes capitis morbos à perturbatione spirituum ortos, unde in vertigine est optimum remedium, succus ejus detur cum saccharo vel coquitur in syrupum, est specificum medicamentum in morbis antedictis, si cum vino vel spiritu vini ter vel quater de die potetur, præsertim debilibus, atque genere nervoso laborantibus; dicitur valere contra passionem hystericam, menstrua provocanda, & fætum expellendum. Duodecima increbilem odorem habet.

Chenopodio-Morus.

Character. Fructus est succulentus Fragi vel Mori.

Nomen. Chenopodio-Morus vocatur, quia habitus est Chenopodii, fructus verò Mori.

Vires. Fructus fert ruberrimum, quo tinctores ad tingendos pannos utuntur, hic fructus refrigerat, si una bacca per horulam in vino albo immittatur, vinum egregio colore rubello tingitur, sed tamen nec odor nec sapor inde vino conciliatur, nisi paululum modo de sapore fragi, cæterum succus est suaveolentissimus instar fragoris.

Bli-

Blitum.

Character. Prima id eſt *Blitum album majus* habet caulem album, ramoſum, folia minora; flores parvos tribus ſtaminibus conſtantes, calicem trifidum, calix fit capſula veſicæ æmula, in qua ovarium, tubâ bifidâ inſtructum in ſemen oblongum reconditur in calice; radix eſt longa, pollicem craſſa, ſaporis inſulſi ut tota planta, ſecunda eſt *Blitum rubrum majus*, cum præcedente omnino convenit, differt tantum à colore, & quod ejus folia ſint plerumque minora, Tertia eſt *Blitum album minus*; ejus caules in parte inferiori rubicundi, in ſuperiori verò albi, repentes, fungoſi, ſucculenti, obrotundi, fragiles, folia oblonga, obrotunda, coloris viridis ſubfuſci, ſaporis inſipidi; radix craſſa, multis fibris conſtans, terræ maximè adhærens, alba, in parte ſuperiori aliquantulum rubicunda, in his plantis habitui quid concedendum, nam flos vix microſcopio examinari poteſt.

Nomen. *Blitum* vocatur à *βλιτὸν quod vile eſt* & nullius pretii, quod eſt planta ſine acrimonia & valde communis, unde apud *Plautum* dicitur *Meretrix Blitea.*

Vires ſunt eædem ac in Atriplici, Chenopodio & Spinachia, eſt planta in culinis valde uſitata, ejus vires ſunt emollientes, refrigerantes & humectantes, in dyſenteria & ſputo ſanguineo eſt planta optima.

Pa-

Parietaria.

Character. Caules rotundi, rubicundi, fragiles; folia oblonga, acuta, villoſa, aſpera, veſtibus facillimè adhærentia; hæ plantæ habent florem marem, fæminam, & hermaphroditicam; flos mas eſt tetrapetaloïdes, ſtellalatus, quatuor ſtaminibus, & teſticulis præditus, in centro gerens parvum apiculum, abſque ovario; flos fæmina conſtat calice foliaceo, trifoliato, in cujus centro ovarium, conöeides, tubâ fimbriatâ inſtructum, in alio loco plantæ; floſculi & ovaria in nodos denſos arctè congeruntur ad caules, ſemina oblonga & ſplendentia; hæc planta creſcit contra muros, & parietes.

Nomen. *Parietaria* vocatur *à pariete*, quia in vetuſtiſſimis parietibus creſcit, & tum vires habet optimas; dicitur etiam *Herba Vitriaria* belgice *glaskruyt*, quia folia ſua ſcabritie & ſuccus vi detergente vitra egregiè mundant, à *Plinio* appellatur *Parthenion* & *perdicium*, quaniam perdices eâ veſcantur. *Helxine* ab ἑλκειν *traho*, quia hæc planta ſe veſtibus adhæret.

Vires ſunt emollientes, aperientes, laxantes, reſolventes & acre obtundentes, convenit hæc planta in aſperis pulmonum morbis & omnibus fere acutis, folia cum Glycyrrhiza decocta & mane & veſperi aſſumpta conducunt in omni nephritide vel à calculo vel à pure vel ſanguine nam inde viæ lubricantur, hæc herba inter vulnerarias detergentes, emollientes, & nephriticas recenſetur, & nullum eſt Clyſma emolliens, in quod non ingrediatur, in actis philoſophiſis Angliæ narratur (uti *in collegio*

institutionem dixi) quod canicula domestica semper versus Parietariam cucurrerit, & hanc comederit, si modo dimittebatur contra consuetudinem hujus generis animalium, sed cum domi detineretur, mortuus est, & in cadavere aperto inventi fuerunt multi calculi in vesica hujus animalis, ut aliter raro in his accidit, sic etiam homines, qui à morbo nephritico languent, sæpe hujus usu continuo juvantur; urinam movet, ejusque ardorem temperat, hinc laudatur in hydropicis, externè pubi applicata infantum ischuriæ medetur, adhibetur etiam in tumoribus, erysipelate, combustione & vulneribus, folia contusa conducunt in Podagra, ejus succus est optimus in tussi inveterata, in morbis faucium forma gargarismatis convenit, uti forma injectionis in aurium doloribus, in contusionibus folia contusa instar cataplasmatis applicata sunt optima, eadem cum aceto contusa in herneis emolliendis convenit, ejus syrupus prodest hydropicis.

Alchimilla.

Character. Folia ex radice erumpentia, caulibus longis adhærentia, serrata, calix in octo segmenta vel quatuor fissus superius, inferius tubulosus satisque amplus, segmenta quatuor majora, minora quatuor, in stellam expansa; caules parvi rotundi, villosi, ramosi; flores in summis caulibus habent stamina quatuor, & in umbellam dispositi sunt; ovarium in fundo calicis tubam emittit apice sphærico donatam; calix fit capsula continens bina plerumque semina, parva, rotunda, flava; radix longa digitum crassa, externè nigra fibris instructa;

hæc

hæc planta creſcit in locis humidis, ut in pratis.

Nomen. *Alchimilla* vocatur, quia Alchimiſtæ hanc plantam valde laudant; dicitur etiam *Pes Leonis*, quia folia hujus plantæ pedem Leonis referunt, *Leontopodium* ex *λέων Leo* & *πȣ̃ς pes*, & apud eos, qui à Divis plantas nominant, appellatur *Pallium Virginis Mariæ*; nominatur etiam *ſtella* vel *ſtellaria*, quia flores & folia aliquantulum in ſtellam ſunt diſpoſita.

Vires. Hæc planta laudatur à viribus vulnera curandis, unde *Paracelſus* eam commendavit pro plantâ optimâ ad vulnera conſolidanda, quod per vim emollientem & leniter adſtringentem facit, convenit dyſenteriæ, Phtyſi & ulceribus pulmonum & laxis pudendis conſtringendis; laudatur quoque ad flaccidas laxaque mammas diriuſculas & minores reddendas, conducit in nimio menſium fluxu, fluxu albo & hæmorrhagiis.

Percepier.

Character. Caules parvi, tenues, rotundi, villoſi, folia obrotunda in tribus partibus inciſa, Geranium referentia, ſed minora, villoſa; calix quadrifidus; flores ex alis foliorum, quatuor ſtaminibus donati; ſemina in ſingulis utriculis à calice factis ſingularia; radix parva, lignoſa, fibroſa & nigra; hæc planta creſcit in pratis & montibus.

Nomen. *Percepier* eſt *vox anglica*, & ita dicitur quia petras penetrat, & creſcit in rupis, & tum putant petras in corpore frangere, ut de cæteris ſaxifragis dicitur, ſed tamen habet amarorem & vim penetrabilem, unde olim in An-

Anglia, frequens fuit ejus ufus ad calculos, pus fanguinemque ex renibus & vefica educendos.

Vires. Hæc planta eft aperiens, urinam excitat, menftrua retenta provocat, conducit in fcorbuto.

Knawel.

Character. Calix quinquifidus in fegmenta quinque acuta, inftar ftellæ expanfus; flores ftaminei, calici infidentes, hærent in fummis ramis & in divaricationibus ramorum; in quolibet calice unum femen.

Nomen. *Knawel* vocatur quafi *ruminans*, an ideo ita dicitur, quia à ruminantibus amatur nefcio.

Vires ejus mihi non funt cognitæ.

Salicornia.

Character. Rami lignofi, femper virides, multis nodis inftructi; habitus aphyllus, teres, fucculentus, aizoïdeus, fquamis pyxidatim articulatis conftans; flos apetalus, nudus, ex commiffuris fquamarum nafcens; fructus eft veficula monofpermos; hæc arbufcula crefcit circa mare mediterraneum.

Nomen. *Salicornia* vocatur à *fale*, quia eft planta valde falfa.

Vires. Folia decocta funt valde aperientia, urinam movent, menftrua retenta provocant, partum accelerant, fætum & fecundinas expellunt, humores aquofos purgant, hinc conducit in hydrope; ejus cineres adhibentur ad faponem & vitra conficienda, profunt in fca-

bie & omnibus cutaneis morbis, si aquæ infundantur & partes affectæ inde laventur.

Kali.

Character. Rami longi, recti, satis crassi, rubicundi; folia longa, angusta, crassa, carnosa acuta, succulenta; habitus hujus plantæ est azoïdes succulentus; flos rosaceus, polypetalus; *Tournefortio*, Apetalus aliis, fructus globosus, membranaceus, fætus semine unico in cochleæ formam intorto, in centro calicis. Tota planta habet saporem salis, crescit in regionibus calidis præsertim circa mare rubrum.

Nomen, *Kali* est nomen asiaticum, quod denotat plantam maritimam, sed jam per totam Europam est dispersa.

Vires. Tertia magnum nomen habuit, sed examinavi & inveni non nisi habitu quodam differre, non verò sapore odore & virtute; Ægyptii hanc plantam comburunt, tum in aquam emittunt, & hoc lixivio evaporato relinquitur sal in fundo, qui est sal vel sode vel Kali vel alkali dictus, unde jam vocabulum illud salis alkalini ortum, talis sal rodit, urit, putredinem & dolorem excitat, & cum acidis effervescit; illud sal est optimum ad saponem & vitra cum arena conficiunda, & omnis recens herba flammis vivis exusta dant cineres griseos, ad saporem salsos, si iis affundatur aqua, tum fit lixivium, quod evaporatum dat sal album dictum sal alcali, hujus plantæ decoctum vel infusum violentissimè detergit & diureticum est; hinc nocet in in omnibus morbis inflammatoriis, in ulceribus inveteratis, scabie & aliis morbis cutaneis.

Beta.

Beta.

Character. Folia ex radice erumpentia magna, polita, ſplendentia, ſatis carnoſa, tenera, viridia, vel albeſcentia, aliquando viridia ſubfuſca, vel rubicunda; flos apetalus, ſtamineus, in globulum collectus, calici quinquifido prehenſus, cuilibet floſculo ſubnaſcitur ovarium, quod eſt vaſculum oſſeum, uno fætum ſemine, quales fructus tres, quatuorve, in globum unum colliguntur; radix annua in nonnullis valde carnoſa, craſſa. Hæc planta eſt valde fatua & inſipida; hinc *Martialis* canit.

Ut ſapiant fatuæ fabrorum prandia betæ.
O quam ſæpe petet vina, piperque cocus.

Dicitur hæc planta maxime nutrire & ſaginare, Poëtæ verò dixerunt, quod Beta & fungus edantur in infernio, quia inde minus turbantur, nam ſunt fatui; *Juvenalis* hanc ſumit pro viliſſimo cibo, cum canit.

—— *quod haud deceat plebeia radere beta.*

Betæ quoque à *Diogene* appelantur homines molles, unde & betizare dixit *Auguſtus* in *Suetonio* pro languere & effæminari.

Nomen. Beta dicitur venire à græcâ litterâ βῆτα, quia hæc planta cum ſemen habet, hanc litteram refert.

Vires. Hæc planta eſt emolliens, nutriens & laxans, qua de re *Martialis.*

Pigroque ventri non inutiles betas.

Folia ſunt edulia oleracea, præbentque nutrimentum optimum, ſi coſtæ foliis abſciſſis decoctæ inſtar aſparagorum edantur cum oleo & aceto, ſuccus verò recens foliis expreſſus acris eſt, ſed coctione emollitur; ſi ſuccus clyſteribus miſceatur ad unciam unam, duas vel tres, eſt optimum ſaponaceum, quod mirificè purgat, auri inſtillatus tollit ſurditatem, cuti applicatus inflammationem & eſcharam facit, hinc inter plantas eſcharoticas refertur, ſi auribus inſtelletur ſæpe cephalalgiam curat, ſed hæc tenera organa aliquando periclitant; hæc planta naribus indita ingentem aquæ copiam elicit; ſextæ, quintæ & ſeptimæ radicis ſuccus eſt acer & immiſſis auribus ſolet cerebrum turbare, & ſic nonnunquam dolores dentium & cephalalgias curat, ſed adeſt periculum, ne organa lædantur; inter fortiſſimas errhinas plantas quoque recenſetur, folia contuſa & ulceribus impoſita hæc à putredine defendunt; ſuppoſitorium ex ſexta confectum vehementer purgat.

Cydonia.

Character. Lignum durum, tortuoſum, pallidum, albeſcens, habens corticem mediocriter craſſum, ſatis politum, externè coloris cinerei, internè rubicundi; habitu humiliore, ramis diffuſis & contortis; folia mali, integra, albeſcentia, in parte inferiori lanuginoſa; calix ut in Pyro; flos roſaceus, pentapetalus ut in Pyro; ovarium ut in Pyro, fit fructus accedens,

cedens, carnofus, acerbus, umbilicatus, quinque loculis membranofis, femina plurima glutinofa, oblonga rubicunda condens, lanugine canâ inveftitus; radix magna coloris obfcuri; hæc arbufcula crefcit in montibus & locis aridis.

Nomen. *Cydonia* vocatur à *Cydone infulæ ante Lesbon*, vel ab *infigni Cretæ* oppido unde *Martialis* canit.

Si tibi Cecropio faturata Cydonia melle,
Ponentur : dicas hæc melimela licet.

Et *Serenus.*

Aut quæ poma Cydon Ciretæis mifit ab oris

Vires. Succus hujus pomi paulo immaturus eft benigniffimus & roborans, unde fiunt mivæ Cydoniorum, dicitur hoc malum belgicè *Queepeere en Quee-appelen*, fi fuccus fit maturus, tum non ita adftringit, nec quoque fi bene fit coctus, nam tum paululum de hac vi perdit, femina media contrarium plane vim habent, nam emolliunt, fi cum aqua rofarum frigidè infundantur, hoc maxime prodeft in inflammatione oculi, in temperando ardore linguæ & faucium; Emulfio ex feminibus cum aqua pura tollit dolores ab uftione, fi tendo fit læfus, hincque femina funt anodyna, in fputo cruento, ulceribus pulmonum & hæmorrhoidibus conveniunt; ejus mucilago cum aqua rofarum facta conducit ad fifturas mammarum confolidandas; Miva cydoniorum prodeft in debili ventriculo, diarrhæâ & fiftendo vomitu.

Asarum.

Character. Folia orbicularia cum deliquio ab unâ parte polita, coloris viridis splendentis auris humanæ figuram referentia caulibus longis adhærentia; finis pedunculi porrigitur in ovarium, cujus superior pars excurrit in calicem trifidum profundè sectum, Ex centro apicis ovarii erigitur tuba crassa, cylindrica, definens in sex recurvos, bisectos, apices. Ex ambitu imæ tubæ accreta circumponuntur eleganti ordine stamina duodecim, instructa testiculis, fæcundantibus tubam dictam patentem usque in cava ovarii, quod hexagonum dividitur in sex loculos distinctos, in quibus gigarti hærent; flos quinque staminibus donatus, purpureus; radix perennis, fibrosa, parva, repens; angulosa, nodosa, incurvata, filamentosa, ex fusco rufescens, odoris fortis & grati, saporis acris nauseosi & aliquantulum amari, cum aliqua adstrictione; hæc planta crescit in montibus uti & hortis.

Nomen. Asarum vocatur ab à *privativo* & σαίρω *orno* quasi *planta nulli ornamento inserviens.*

Vires. Prima nullum synonima habet, quod utinam in omnibus plantis obtigisset, & à veteribus laudatur, si folia vel capita instar Thée infundantur, tum vomitum faciunt; radix pro Ipecacoanna venditur, & etiam non multum abest, quoad virtutes, sed habitus foliorum differt, veteres dixerunt, si folia sursum carpantur, tum quoque sursum purgare, & hoc videtur inde oriri, quia, si folia infundantur, tum sursum deorsumque purgant, si coquantur,

tur, tum deorſum modo purgant, ſi magis coquantur, tum alvum movent, & ſi adhuc magis, tum modo diureſin movent, hinc tandem evadit tantum medicamentum aperiens, & inde iſta ſuperſtitio videtur orta. *Lindenus* de hac planta pulchrè ſcripſit, & hoc medicamento ſemper uſus eſt, ubi vel ſurſum vel deorſum erat purgandum, & quoque adhibuit in illa Epidemia anni 1669, inde tum ejus ægri tam citiſſimè ſanabantur, ſed violentiſſimè movet, ſi ſuccus expreſſus ſumatur; eſt optimum remedium in Quartana, ſi aliquot horis ante paroxyſmum aſſumatur, melancholicis nocet hoc medicamentum, ſed bilioſis & ſeroſis conducit, hinc convenit in Hydrope, Hydrocephalo, Ictero & febribus intermittentibus, menſes fœtum & lochia pellere dicitur hæc planta; in doloribus Iſchiatis & Podagra prodeſt, conducit in Diarrhæa & Dyſenteria à materia putrida hærente in ventriculo.

Pinus.

Character. Truncus hujus arboris magnus, elevatus, rectus, craſſus, in parte inferiori nudus, in ſuperiori verò ramoſus, corticem aſperum & rubicundum habens; lignum durum; flaveſcens & odoratum; folia Abietis longiora, bina ſemper ex unâ communi vaginulâ orientia, parva, dura, ſemper viridia, acuta; flos mas amentaceus ſtaminibus conſtans uno Plantæ loco; fructus in eadem plantâ loco à flore mare remoto fit conus, tuberculis tetragonis conſtans, inter ſquamas duobus ſcrobibus excavatas ſunt duo oſſicula, ſæpe alata fæto nucleo oblongo; hæc arbor co-

litur in hortis & creſcit in montibus *Rapinus* de hac arbore canit.

Et quæ per montes ramis uberrima Pinus
Frondoſæ lætum prætendit frontis honorem,

Et *Virgilius*

Fraxinus in ſylvis pulcherrima pinus in hortis

Et alio loco

Ipſe thymum pinumque ferens de montibus altis.

Hæc arbor Deæ fuit cônſecrata ut patet his verſiculis ex *Virgilio.*

Hîc arguta ſacrâ pendebit fiſtula pinu,

Et ex *Horatio*

Imminens villæ tua pinus eſto:
Quam per exactos ego lætus annos,
Verris obliquum meditantis ictum
Sanguine donem.

Vires. Tempore Verno ex cortice læſo tranſudat magna copia therebinthinæ, quæ eſt tranſparens mollecula, coloris flaveſcentis ad cæruleum vergentis, collecta ex trunco arboris ad imam medullæ ſauciato, ſaporis acris amaricantis, reſinoſi, odoris fragrantis & gravis, conducit in tuſſi, aſthmate, nephritide, ſtranguria, gonorrhæa, fluore albo, pleuritide, & ſanandis vulneribus tam internis quam externis. Nuclei hujus arboris ad ignem ex-

exficcati Afthmaticis profunt & funt edules & faporis fubdulcis, ulcera renum mundificant, & urinæ acrimoniam mitificant; folia tenuia decocta laudantur in fcorbuto, ubi acre eft demulcendum & vafa roboranda, ut in Phtyfi; oleum ex nucleis expreffum habet eandem virtutem ac oleum amygdalarum dulcium; hæ arbores aliquid fingulare habent quod oleo accumulato exftinguantur, quibus extinctis in funeribus olim utebantur.

Chryfofplenium.

Character. Folia ex radice erumpentia, Hederam terreftrem referentia, orbicularia, in margine dentata, villofa, fucculenta, faporis ftiptici & amari; calix floris quadripartitus, qui ex *Tournefortio* flos cenfendus, raro in quinque lobos fectus; flos apetalus, rofaceus, octo ftamina habens, ex margine ovarii nata; fructus eft capfula membranacea, bicornis, bivalvis, unicapfularis, fætus multis feminibus exiguis, rubicundis, nigris, aut fufcis; radix perennis, longa, aliquando fat craffa, fibrofa, nodofa, repens, fragilis, coloris albi fubrubicundi, hæc planta crefcit in paludibus, & locis aquofis.

Nomen. Chryfofplenium dicitur à χρυσὸς *aurum* & σπλὴν *lien*, quafi *planta, cujus flores funt coloris aurei, & optima ad morbos fplenum.*

Vires cum faxifragis funt eædem, dicitur vires habere ad calculum frangendum, adhibetur etiam in decoctis, ubi eft adftingendum.

Herniaria.

Character. Folia exigua. Serpillum referentia, coloris viridis subflavescentis, saporis acris calix multifidus, quadrifidus plerumque vel quinquifidus, stellatim expansus, qui Prestoni flos habendus, quinque staminibus instructus; fructus in floris fundo ortus fit capsula rotunda, membranacea, striata, divisa in octo loculamenta, in singulis horum semen unum parvum, acuminatum, ovatum; radix fibrosa, parva; hæc planta crescit in locis arenosis.

Nomen. Herniaria dicitur à *curandis herniis.*

Vires. Hæc planta vilipenditur, sed in *Diariis Eruditorum Galliæ* Medicus *du Clou* narrat sibi constitisse hanc plantam ad calculum frangendum præstantissimos imo miraculosos effectus præstitisse, hinc hi, qui calculis hepatis, vesiculæ fellis, renum, uretherum, vesicæ urinariæ laborant ab ejus usu mirificè levantur, ita ut calculi cum urinâ expellantur, quod fit, quia facile abit hæc planta in partes minores, hæc herba inter adstringentes & vulnerarias censetur; hæc quæ dixi imprimis vera sunt de prima & tertia; folia contusa instar cataplasmatis adhibita Herniam curant, præsertim si simul ejus succus potetur, in colica nephritica & ictero est optima planta, convenit etiam in Hydrope.

Paronychia.

Character. Caules nodosi, se extendentes, & repentes; folia Polygoni sed minora & breviora,

viora ; calix pelviformis, sectus in quinque partes cucullatas ; flos quinque staminibus constans ; Ovarium in calicis centro positum emittit tubam unam, erectam, fitque cum calice fructus pentagonus uno semine fætus ; flores cinguntur multis tenuissimis bracteis, siccis, argenteis, orbiculatim circumpositis ; radix perennis, longa, satis crassa, in multos ramos lignosos divisa, alba ; hæc planta est alba aut coloris argentei & crescit in regionibus calidis circa montes.

Nomen. Paronychia vocatur à παρὰ *juxta* & ὄνυξ *unguis*, quasi *ad unguem* vel *planta coloris unguis*, nam Paronychia est çoloris argentei, splendentis, vel ut videtur à *Paronychia malo ulcere ad unguem*, sed an in hoc ulcere curando conducit, non dicere possum, sed est planta egregiè emolliens ; hoc nomen multis plantis datum est, sic habetur inter saxifragas diangias, sic etiam Alyssonus dicitur Paronychia altera officinarum.

Amarantus.

Character. Folia Bliti, sed acutiora & magis polita, coloris viridis subfusci, in margine rubicundi, saporis insipidi ; flores apetali, rosacei, polypetali rubicundi ; calix siccus. multifidus, qui *Tournefortio* flos, aliis perianthеum ; stamina unita in formam cotylæ, emergunt ex fimbria hujus ; Ovarium in fundo cotulæ bicorne, ibidem est testa fere globosa seu ovata, bifariam dehiscens horizontaliter, complectens semen unum vel plura subrotunda, polita, nigra, splendentia ; comâ vix emarcescente, minus speciosâ splendiore, asperiore,

 vis-

vasculis monospermis; radix crassa, succulenta, coloris rubicundi subalbescentis; hæc planta in hortis colitur *Rapinus* de hac planta canit.

Sed reliquos inter flores, quos serior æstus
Proferet, insignes magis, & majore superbos
Ornatu videas immortales Amarantos.

Nomen. Amarantus vocatur à voce græca ἄνθος *flos* & μωραίνω *marcesco*, quasi *planta nunquam marcescens.* In nulla est, quod scio, virtus.

Amarantoïdes.

Character. Folia petala se mutuo tanquam pinnæ comprehenduntur; flos flosculosus, in capitulum squammatum collectus, caliculo bifolio chelarum cancrorum æmulo axi squammatim adnato, comprehensus, multifidus, caliculo involutus; ovarium in fundo floris, calyptrâ obvolutus dat semen subrotundum, aduncum.

Pimpinella.

Character. Caules rubri, angulosi, ramosi; folia oblonga, aut obrotunda, in margine dentata, bina uni costæ adhærentia; flores monopetali, rotati, plerumque quadrifidi ad centrum usque quatuor, vel multis ornati staminibus, prælongis, bracteis verò herbaceis, minutis vix conspicuis, unde apetalon alii pronunciant. Ovarium fit fructus quadrangularis plerumque, utrimque acutus modô unicap-

capſularis, modô bicapſularis, fætus ſeminibus oblongis, ex fuſco ſubrufo, ſaporis ſubamari, adſtringentis, tenuis non ingrati odoris; hæc planta creſcit in pratis & montibus.

Nomen. Pimpinella vocatur quaſi *bipinella*, quia ejus folia bina juxta caulem adhærent, ut folia Pini; *ſanguiſorba* dicitur, quia ſanguinem ſiſtit.

Vires. Hæ dicuntur ſanguiſorba ut à ſaxifragis Pimpinellis diſtinguantur, quæ ſunt ardentiſſimæ, hæ verò Pimpinellæ ſanguiſorbæ ſunt adſtringentes. Eſt planta aromatica levis adſtringens & optima contra fibrarum laxitates & fluidam tenuitatem & ſanguinis, in hæmorrhagia, & nimio menſium fluxu commendatur, ſi cum pane butyraceo edatur, bibitur etiam inſtar Thée, tum omnia venena reddit inertia; quinque priores inter præcipuas Antitoxicas contra peſtem habentur, hæc planta infunditur quoque cum vino, ubi laxè eſt adſtringendum, inter vulnerarias vix ulla præſtantior eſt ad fluxum ſanguinis ſiſtendum in hæmoptoe; ſingulare quid obtinet in dyſenteria, tum quod acidum dyſentericum infringat, tum quod laxatas inteſtinorum fibras blandè adſtringat; ex floribus fit conſerva egregiarum virtutum in iisdem affectibus, folia aquæ communi vel vino infuſa conducunt in nephritide.

Plantago.

Character. Folia ampla, ſplendentia, ſeptem nervis inſtructa unde à nonnullis *ſeptinervia* dicitur; caules rotundi, fortes, aliquando rubicundi; calix monophyllus, quadrifidus, tubuloſus, tenerrimus, in eo monopetalus,

talus, rotatus, hypocrateriformis, quadripartitus, ſtellatim expanſus; ovarium quoque ſtaminibus ſtipatur longis; unde apetalum cenſent alii. Fructus eſt teſta membranoſa fere ovata vel conica, per maturitatem dehiſcens in binas partes tranſverſim, quarum una alteri incumbebat, diviſa ſepto medio in duo loculamenta fœta ſeminibus oblongis parvis, coloris rubicundi; radix brevis, digitum craſſa, in latere multis fibris inſtructa; hæc planta creſcit juxta vias.

Nomen. Plantago vocatur à *Planta per excellentiam ob ejus magnam virtutem*, vel quia plantis pedum juxta vias conculcatur, vel quia fatigatis hominibus, dum pedes contundere incipiant ſuppoſita planta fatigationem tollat, quod ipſe expertus ſum; hæc planta nonnullis dicitur *Arnogloſſum* ex ἄρνος agnus, & γλῶσσα *lingua*, quaſi *lingua agnina*, quia ejus folia linguam agninam referunt.

Vires. Hæc planta habet virtutem adſtringentem ſine ulla tarditate manifeſta & acerbitate, uſurpatur in mictu cruento, ſputo ſanguineo, ſi puerperarum lochia nimis fluant, nunquam deſtituit ſua ope medicum, externè locis inflammatis imponitur; in diarrhæa hæmorrhagiis & morbis oculorum eſt optima planta, folia contuſa conducunt in mundificandis conſolidandiſque vulneribus ac ulceribus inveteratis, ejus ſuccus eſt optimus in febribus intermittentibus, & in phtyſi, ejus aqua deſtillata cum aqua roſarum in oculis inflammatis prodeſt; in gonorrhæa ejus aqua injecta conducit, in morbis faucium folia decocta conveniunt inſtar gargariſmatis.

Coro-

Coronopus.

Character. Folia ex radice erumpentia, longa, angusta nervosa, profundè incisa longis ad margines laciniis appositis laciniata, parvum cornu cervi referentia, saporis aliquantulum adstringentis, sed grati; caules tenues, rotundi, villosi; flores & semina Plantaginis; radix plerumque exigua, sed aliquando digitum crassa, alba, saporis aliquantulum adstringentis; hæc planta colitur in hortis.

Nomen. Coronopus à κορώνη *cornix* & πȣ̃ς *pes* quasi pes *cornicis* quia ejus folia cornicis pedem referre dicuntur, vel quia folia cornu cervi referunt.

Vires sunt ut in Plantagine.

Psyllium.

Character. Caules foliosi, sarmentosi, ramosi, repentes; radix longa, lignosa, dura, fibris instructa; cætera ut in Plantagine & Coronopo; tamen semina sunt parva, oblonga, puliciformia, lubrica, lucida, ex fusco punicea, saporis primum mucilaginosi, postmodum acris & nauseosi; hæc planta crescit in Italia, & Germania.

Nomen. Psyllium vocatur à ψύλλα *pulex*, quia ejus semen figura & colore pulicem refert, belgicè dicitur *floykruyt*.

Vires. Hæ plantæ inter venena indommabilia referuntur, nam semina pulicem referentia adeo mucilaginosa sunt, ut totum os conglutinent, si manducentur, & si in magnâ copiâ assumpta in ventriculo veniant, stomachum con-

contrahunt, & hac ratione est planta venenata; si verò pauca copia sumatur, tum quidem conducit pro Medicinâ, semina cum aqua rosarum contrita & oculis inflammatis applicata, est optimum remedium, & inserviunt febribus ardentibus in Italia, & ad vulnera externa subitò consolidanda; ejus mucilago in clysmatibus pro dysenteria & renibus inflammatis adhibetur; acres biliosos humores evacuant, eosque ob demulcentem mucaginem obtundunt & temperant; cæterum ob eandem mucaginem conveniunt in Angina, ardore & siccitate faucium, tussi & raucedine, externè conveniunt folia contusa in combustione.

Myosurus.

Character. Folia graminea Coronopi instar, sed non laciniata; caules parvi, tenues, rotundi aut cylindrici, nudi; calix quinquefolius, singulis foliis appendice instructis, deorsum tendente; flosculi herbacei, staminibus præditi, multis ex ambitu fundi ovarii, semina in spicâ longâ, tenui, acutâ, muris caudam referente; radix annua, fibrosa; hæc planta habet saporem acrem, & crescit in pratis.

Nomen. Myosurus vocatur à μυὸς *mus*, & ὀρὰ *cauda*, quasi *cauda muris*, quia spica hujus plantæ muris caudam refert.

Apetalæ fructu à flore remoto.

Hæ plantæ apetalæ in triplicem classem dividuntur, commodè 1. ubi fructus flori est contiguus, 2. à flore remotus in eadem planta;

ta, 3. ubi fructus à flore remotus in diversa planta.

Ambrosia.

Character. Caulis unicus, in multos ramos divisus; folia incisa, albescentia; flores flosculosi, aliis Apetali, maris, calice comprehensi uno communi, singuli staminibus constantes; fructus clavæ æmulus, echinatus, monospermus, fætus semine nigricante & oblongo, tubâ bifidâ instructus, alio loco plantæ; radix longa, lignosa, tenuis. Tota planta habet odorem suavem, saporem aromaticum, aliquantulum amarum, sed gratum, & colitur in hortis.

Nomen. Ambrosia vocatur ab à *privativo* & *βροτὸς mortalis* vel quia mortales eam comedunt, vel quia illam plantam comedentes efficerentur immortales vel à *βρῶμα cibus* & *θεὸς Deus*, quasi cibus deorum, ut olim fabulæ dixerunt unde *Martialis* canit.

Jupiter ambrosia satur est & Nectare vivit.

Vires. Hæc planta est odoratissima, viribus calidis & aromaticis pollens, hinc inter cadiacas & cephalicas refertur. Secunda dicitur vulneraria.

Xanthium.

Character. Caulis angulosus, villosus, ramosus, punctis rubris instructus, in latum se extendens; folia Bardanæ sed minora, viridia, in margine leviter dentata, saporis acris & aroma-

matici; flores floſculi, aliis Apetali, mares, ſtamine apice bifido ornato; fructus oblongus, aculeatus, bilocularis, fœtus ſeminibus oblongis, inſtructus duabus tubis; radix parva, alba, fibris ſatis craſſis inſtructa, hæc planta creſcit contra parietes & in paludibus ſiccis.

Nomen Xanthium vocatur à ξάνθος *flavus*, quia Veteres hujus plantæ ſucco capillos tingebant colore flavo; non ſcio laudari.

Gnaphalodes.

Character. Flores floſculoſi, aliis apetali, mares diſcoïdei; Embriones in orbem nati conſtituunt ovarium floſculis ſuppoſitum, atque abeunt in fructum criſtatum, fœtum ſemine oblongo, tota planta eſt tomentoſa.

Nomen. Hæc planta ita fuit dicta ab *inventare Griſlego*, qui viridiarium librum hodie tam rarum ſcripſit & vocavit, quia circa mare creſcit *Gnaphalium maritimum.*

Apetalæ flore in unâ plantâ ſterili, fructu aliâ non floriferâ, vocantur ſextu diſtinctæ.

In his nunquam in unâ plantâ flos & fructus ſimul, in unâ verò ſtamina, in aliâ ovaria & utriculi, hinc debent jungi inter ſe mares & fœminæ, aliter ſunt ſteriles; mas dicitur ſterilis, quia nullos fructus fert, ſed etiam fæmina eſt ſterilis, ſi non mari jungatur, & tum fit fœcunda.

Spi-

Spinacia.

Character. Folia ampla, acuta incisa, angulosa, tenera, mollia, ſucculenta, longis caulibus adhærentia, coloris viridis obſcuri; caules rotundi, fiſtuloſi, ramoſi; flores apetali, ſtaminoſi ad alas, conſtantes calice quadrifido & ſtaminibus, in unâ plantâ; ovarium eſt capſula turbinata, vel cornuta, vel angulata, tubis piloſis inſtructa, continens ſemen turbinatum in aliâ plantâ, radix ſimplex, exigua, alba, parvis fibris inſtructa. Hæc planta colitur in hortis.

Nomen. Spinachia ſeu *ſpinacia* vocatur à *ſpina*, quia capſula ſeminis hujus plantæ eſt plerumque ſpinoſa.

Vires. Hæc herba inter olera cenſetur, emollit, ſed non nutrit, nam ſi quis libram unam aſſumpſerit, libram unam reddit per alvum, ſuccus enim coquendo abit, & toto pondere ventrem laxat, hæc planta recens dat ſuccum craſſum, ſed benigniſſimum, qui lenit pulmonum aſperitatem, in inflammationibus inteſtinorum conducit.

Lupulus.

Character. Caules exigui, ſarmentoſi, flexiles, ſcandentes, villoſi, aſperi, volubiles; folia ampla, anguloſa, dentata, ſcabra, conjugata, caulibus ſatis longis & rubicundis adhærentia; floſculi apetali, albi, pallidi aut herbacei, ſtaminibus præditi, calice quinque partito, ſtellatim expanſo excepti, racemoſi, in unâ plantâ; ovaria, bicornia in racemos, ſquamoſos

mosos ex multis foliolis axi adnatis compositos; congesta foliis singulis recondentibus singula semina ferè rotunda, tegmine membranaceo occultata; semina sunt plana, dura, externè alba, internè flavescentia, saporis amari; radix dura, divisa, alba. Hæc planta colitur in pratis.

Nomen. Lupulus vocatur à *Lupo*, quia Veteres dicebant lupum se recondere sub caulibus hujus plantæ, qui se per humilitatem incurvabant, unde *humulus* dicebatur, *Salictarius* appellatur, quod ut Salices ad similitudinem vitis adscendat.

Vires. Hæc herba est amarissima; Turiones vere pro deliciis in mensa divitum instar Asparagorum assumuntur, hæ sunt detersivæ, sed tamen si nimiâ copiâ utantur, creant maximos dolores in reddenda urina; flores & semina inserviunt pro cerevisia condienda, & ab acido servanda; hæc herba inservit pro Epithemate ad febres intermittentes curandas, si nempe turiones cum sale contundantur, & loco corporis, ubi vasa sunt nudissima imponantur; convenit etiam hæc herba ad acrimoniam detergendam, sed nocet siccis, quia nimis exsiccat, lupuli decoctum aperit, sed etiam paulisper calefacit, in malo hypochondriaco, scorbuto, febribus chronicis, scabie, aliisque cutaneis morbis laudatur, folia contusa conducunt in luxationibus, contusionibus, & tumoribus, radices ejus decoctæ sudorem movent.

Cupressus.

Character. Lignum, durum, compactum, odoratum, coloris flavescentis; folia squammatim

matim mutuò incumbentia, profundè incisa, ut in Tamarisco, sed magis carnosa, dura; flos mas, amentaneus, squamosus, apices pulverulentos habens; fructus subrotundus, siccus, griseus, dehiscens in multos quasi clavos, sub quibus semina angulosa, plana, rubicunda, medullosa. Hæc arbor distinguitur in marem, qui ramis est expansis, quæ verò ramos in metæ fastigium erectus habet, dicitur fæmina; hæc est semper viridis, crescit in Græcia, Italia, Hispania, Creta & Asia, quæ in regionibus calidis crescit, fundit resinam, quæ per incisionem in trunco arboris factum educitur.

Nomen. Cyparissus vel Cupressus à κύω *pario* quasi utrimque ramos aperiens; vel à quodam infante, quem poëtæ finxerunt esse mutatum in Cupressum, unde *Ovidius* canit.

Adfuit huic turbæ metas imitata cupressus,
Nunc Arbor, puer ante Deo dilectus ab illo,
Qui citharam nervis & nervis temperat arcum.
Namque sacer Nymphis Carthæa tenentibus arva
Ingens cervus erat, latèque patentibus altas
Ipse suo capiti præbebat cornibus umbras;
Cornua fulgebant auro, demissaque in armos
Pendebant tereti gemmata monilia collo
Bulla super frontem parvis argentea loris
Vincta movebatur, parilique ætate nitebant
Auribus è geminis circum cava tempora baccæ:
Ipseque metu vacuus, naturalique pavore
Deposito, celebrari domos, mulcendaque colla
Quamlibet ignotis manibus præbere solebat,
Sed tamen ante alios Cææ pulcherrime gentis
Gratus eras Cyparisse tibi: tu pabula cervum
Ad nova, tu liquidi ducebas fontis ad undas,

Tu

Tu modo texebas varias per cornua flores
Nunc eques in tergo residens, huc latus & illuc:
Mollia purpureis frenabas ora capistris.
Æstus erat, mediusque dies solisque vapore
Concava litorei fervebant brachia Cancri,
Fessus in herbosa posuit sua corpora terrâ
Cervus & arborea frigus ducebat ab umbrâ,
Hunc puer imprudens jaculo Cyparissus acuto
Fixit: &, ut sævo morientem vulnere vidit
Velle mori statuit; Quæ non solatia Phœbus
Dixit; &, ut leviter, pro materiáque doleret
Admonuit: gemit ille tamen, munusque supremum
Hoc petit à superis, ut tempore lugeat omni:
Jamque per immensos egesto sanguine fletus
In viridem verti ceperunt membra colorem:
Et modo qui nivea pendebant fronte capilli,
Horrida cæsaries fieri, sumptoque rigore
Sidereum gracili spectare cacumine cælum
Ingemuit: tristisque deus, Lugebere nobis,
Lugebisque alios, aderisque dolentibus inquit.

Hæc planta *Plutoni* seu *Deo infernali* fuit sacra, ideo funebri signo ante defunctorum ædes posuerunt Veteres, unde *Ovidius* canit

Funeris ara mihi ferali cincta cupressu

Et in alio loco

Vallis erat piceis, & acuta densa cupressu.

Ob

Ob quam causam *Arbor mortis* fuit dicta, Veteres hanc plantam solebant plantare circa loca, ubi cadavera comburebantur, ut canit *Virgilius*. Ægyptii observantissimi fuerunt, ut cadavera in sæcula conservarent, in hunc finem sumebant ligna ex cupresso, quæ arbor ætate non sentit.

Vires sunt adstingentes & roborantes cum aliqua vi aromaticâ, hinc folia fructus conducunt in herniis, gonorrhæis & dysenteriâ & morbis laxis ex ligno resina transudat, unde fit oleum balsamicum aperientissimum; folia in febribus intermittentibus prosunt; nuces hujus arboris vino albo infusi optimè conveniunt in febre quartana.

Cannabis.

Character. Caulis rectus, quadratus, unicus, villosus, asper, excavatus; cortices lenti, tenaces, robusti; folia digitata, conjuncta, dentata, viridia, subfusca, aspera, odoris ingrati; flos apetalus, comprehensus calice quinquefido, expanso, & stamina habens quinque in unâ Plantâ; ovaria bicornia, conferta in caulibus, rotunda, testâ durâ, tenui, fragili, includentia semina globosa in aliâ plantâ, parva, quæ sub tenui cortice ex cinereo spadiceo glabro includunt medullam albam, saporis subdulcis; radix annua, simplex, lignosa, alba, fibris instructa. Hæc planta colitur in pratis circa loca humida.

Nomen. Cannabis dicitur à *καναβὸς* quod significat *aquam putridam* quia in p ludibus crescit; ex hac herbâ fiunt chordæ, hinc *Persius* canit.

Tun

Tun', mare transilias? tibi torta cannabe fulto
Cæna sit in transtro, —— ——

Vires. Hæc planta corrupta pestillentialem fætorem dat, & inde à talibus sarcinis pestis aliquando pessima in Anglia dicitur orta. Seminis mucago nonnihil olei conjunctum habens, acrem volatilemque bilem, à qua icterus oritur, mirè temperat & compescit, obtinet quoque vim stupefactivam, quæ ex recentis plantæ odore gravi, idem exsiccatione manifestè percipitur, orgasmum genituræ maximè compescit, & propterea contra antiaphrodisiacum & specificum contra Gonorrhæam laudatur. Turcæ præparant suum Massach seu Banque hoc modo. Recipiunt folia cannabis minoris recentissima, in pulverem in olla terunt, in qua butyrum fuit asservatum, torrent, madefaciunt, hocque aliquoties repetunt, & utuntur singulis diebus, quando sibi stuporem inducere volunt. Ex seminibus pressis oleum blandum in magnâ copiâ exsudat, aviculæ eo alliciuntur, sed facile ab usu hujus moriuntur, quia inde multum in sanguine oritur oleum; hujus semina in lacte vel lactis sero decocta est nobile remedium contra Icterum, si ex siccitate intestinorum oriatur, semen externè ad maturandos tumores & suppurationem promovendam valet, caules decorticati habent medullam filis longissimis constantem unde funes contorquentur, ex hac planta fit oleum cannabinum adeo laudatum, quo inungitur regio renum contra Gonorrhæam; succus hujus plantæ aurium dolores ab obstructione ortas sanat, si eis indatur; semina contusa & vino albo

albo infusa urinam & menstrua provocant; tertia est planta memoratissima, sed modo Marem habemus, hinc non fert fructus.

Cannabina.

Character. Habitus Cannabis; flos mas calice & staminibus constans, in una planta; ovarium est capsula longa, trigona, fæta seminibus multis in aliâ plantâ.

Urtica.

Character. Caules quadrati, non flexiles, lanuginem pungentem habentes, excavati, non ramosi; folia in caule bina, opposita, oblonga, ampla, Melissam referentia, acuta, dentata, serrata, triangularia, spinis urentibus in Europæis obsita; flos apetalus, stamineus, mas, calici tetrapetaloïdi, cruciformi insidens, ut plurimum; in medio caliculum habens stamina aliquando quatuor, quandoque plura; testiculi in foliacea plana dissiliunt; fructus plerumque in Plantâ non floriferâ, fit vel capsula bivalvis semine fæta, & aliquando in globulos congesta, vel volsella semen comprehendens; tubâ filamentosâ instructa & caliculo sed & ovaria in plantâ mare inveniuntur. Unde fiunt Urticæ mares, fæminæ & hermaphroditæ. Hæc planta crescit in locis incultis, & tanquam vilis habetur unde *Persius* canit.

—— —— Mihi festa luce coquatur
Urtica, & fissa spumosum sinciput aure:

Nomen. Urtica vocatur ab *urere*, quia hæc

 plan-

planta attacta valde urit. Habet quatuor spinas exiguas, quæ in extremitate habent naturam ita flexilem, ut cutim intrantes facilè connivere possint, si verò carni inductæ fuerint, exire nequeunt, franguntur quasi in fragmenta & inflammationem & vesiculos excitant, nec prius abeunt, quin extra corpus deferantur.

Vires. Secunda & tertia laudantur ad sanguinem sistendum, si succus expressus adhibeatur; folia decocta sunt aperientia, & quoque contra podagram laudantur, si folia recentissimè prodeuntia decoquantur, & hoc decocto utatur æger, podagræ impetum sistit; succus recens expressus hæmorrhagiam narium sistit, si à nullâ re hoc fieri possit, folia recentissima adhibentur ad diverberanda membra paralytica & podagrica, ut inflammatio externè producatur; hæc planta conducit renum & vesicæ morbis, tussi, phtysi, hæmorrhagiæ internæ nempe hæmoptysi, vomitui sanguinis, fluxui nimio hæmorrhoidum & mictui cruento, urtica urinam movet, calculum frangit, *Juvenalis* pro pruritu libidinis posuit dum canit.

Unde hæc tetigit Gradive tuos Urtica nepotes.

Folia contusa & externè applicata gangrænæ resistunt; hæc planta menstrua obstructa provocat, ejus succus conducit in dysenteria & fluore albo; radices saccharo conditæ prosunt in tussi inveterata & asthmate; folia decocta conducunt variolis, morbillis & febribus malignis. Radix maximè commendatur ad Icterum eadem in olere sumpta solvit alvum; folia decocta vel instar Thée epota egregiè laxant.

Mer-

Mercurialis.

Character. Caules rotundi, politi, in parvos ramos divisi; folia oblonga; satis ampla, acuta, polita, viridia, in caule bina opposita, crenata; calix florum monophyllus, expansus in tria segmenta, tam in mare quam in fæmina; flos apetalus, stamineus, mas habens stamine octo vel duodecim in spicas congesta, in mare; ovarium etiam calici triphyllo insistens gemellum, rotundum, instructum tubâ fimbriatâ capsula est semine fæta subrotundo; radix fibrosa; hic videntur contradictoria proponere, cum dicitur testiculata mercurialis seu mas & spicata seu fæmina, nam spicatum esse est habere stamina & testicula est habere ovarium & utriculos. Si prima adplantetur secundæ & ambæ sint floriferæ, tum matutino tempore calida tempestate concutitur mas, qui pulvisculum emittens fæminæ flores id est ovarium & utriculos fæcundat, aliter quidem fæmina sine hoc fæcundatione fert semina sed sterilia, nam ex his satis non prodit planta, & idem hinc obtinet ac in ovis, quæ à gallo non compressa à Gallina posita sunt; hunc verò concussum ventus solet, facere, unde tum fit copula venerea, si verò non oriatur ventus, tum verberatione facere debet, sic homines quoque arbores Dactylos debent verberare, antequam boni fiant, hujus sic ratio patet; sic amicis dederam semina Mercurialis, sed inde non nisi unam plantam accipiebant, quæ quidem ferebat flores, sed semina non dabat, & inde propagari non poterant; hanc ergo differentiam inter plantas jam olim *Theophrastus* notavit.

Nomen. Mercurialis vocatur à *Mercurio*, quia Veteres crediderunt *Deum Mercurium* hanc plantam primo in uſum adhibuiſſe.

Vires ſunt emollientes, laxantes, & aperientes, ex hac planta fiunt Cataplaſmata emollientia cum oleo, uti Clyſmata ad fœces emolliendas, propria quoque virtute fluxum menſium uterumque purgat, ob quam cauſam forte ſterilitatem ab uteri vitio arcere dicitur; ex hac herba fit medicamentum mel Mercuriale dictum ejus ſyrupus eſt laxans; folia contuſa & aquæ frigidæ per viginti quatuor horas infuſa conducunt in cachexia, hydrope, paſſionibus hyſtericis & chloroſi. Tertia & quarta à ruſticis inter olera recipitur, ſed tum ſæpe inde in vomitum inciderunt.

Equiſetum

Character. Caules rotundi, aſperi, excavati, multis tubis in ſe invicem inarticulatis inſtructi, quæ articulatio nodos format; folia teretia, pyxidatim articulata, cava; flores apetali, ſtaminei, apice fungiformi donati, ſpicati, mares; in una planta fructus ſunt grana, nigra, aſpera, farcta in plantâ non floriferâ; radix repentiſſima, nigricans; hæc planta creſcit in pratis & circa flumina.

Nomen. Equiſetum vocatur ab *equus* & *ſeta*, quaſi *ſeta equi* quia ejus folia & rami equi ſetam referunt; dicitur etiam *Hippuris* ab ἵππος *equus* & οὐρὰ *cauda* quaſi *cauda equi*, *Hipposeta* ab ἵππος *equus* & *ſeta*. Græci vocarunt ὕπυρος, quod ſignificat caudam equinam.

Vires ſunt adſtringentes, conſolidantes, calefacientes, detergentes vulnerariæ & balſamicæ,

cæ, hinc hæc planta ventriculi & intestinorum fibras roborat, in sistendis hæmorrhagiis, sedando mictu cruento & cæteris generibus fluxuum sanguinis laudatur, uti nimio menstruorum & hæmorrhoidum fluxu, in sputo cruento & dysenteria sanguinea est planta optima, uti & ejus succus in herniis, ulceribus & vulneribus. Hæc planta est serpentissima, ita ut omnibus vicinis sit damno, nam eas supprimit vulgo vocatur rusticis venenum bovinum & medicamentum equinum, recipitur in medicina pro medicamento adstringente & sanguinem inspissante, hinc in lochiorum fluxu convenit.

Ephedra.

Character. Truncus brachii magnitudine; Caules, rami, folia Equiseti, habitus frutescens, flos apetalus, mas, constans staminibus testiculatis, corpusculo tenui innatis, quorum aggestu flosculus quasi caliculum nanciscitur. Hi flores in plantâ mare, vel androgynâ; fructus vel alio loco plantæ ejusdem, vel in alia quandoque non floriferâ plantâ, est bacca succulenta, rubra, binis squamis conjugatis, binis aliis similibus cruciatim superpositis, his rursum à tertio pari, hoc denique à quarto similiter posito, confecta; squamæ inferiores minimæ per gradus in supremas maximas desinunt, par supremum rimâ bifidâ, parum hiulcâ, condit suo semina ovata, polita, aversâ parte gibba, contigua plana, involucro corraceo tecta; radix perennis, oblonga, nodosa; hæc planta crescit in locis maritimis. Hæ plantæ sunt mas & fæmina, & mas æstate,

ut ſæpe vidi, ejicit pulviſculum, & hac ratione fit imprægnatio fæminæ, niſi procul abſit, nam debet ſibi invicem propinquè adſtare, flos mas eſt apetalus, ſed ille, jam evanuit, nam modo tempore fœcundationis ſeu imprægnationis apparet, flos verò fæmina eſt, hinc vobis perfectè deſcripſi ut eſt, prima eſſet dicenda Ephedra major fæmina, ſecunda fæmina minor, tertia mas.

Nomen. Ephedra vocatur ab ἐπὶ ἑδέρων *quaſi corpus, quod ponitur in cella, quia ſuperior folii particula ſemper inſedit inferiori, & hæc iterum adhuc inferiori.*

Vires. Uvæ vel baecæ habent virtutem ut uvæ, cæterum eſt planta adſtringens, hinc conducit in herniis, diarrheis & hæmorrhagiis, hac planta mulierculæ utuntur ad lignea vaſa emundanda.

Plantæ Monocotyledones foliis ſeminalibus Carentes, bracteatæ.

Monocotyledones ſunt, quibus ſemen reconditur intra unam placentam, ex hoc ſemine terræ commiſſæ folia duo primò prodeunt, quæ viliſſima ſunt his ex quibus poſtea tota planta creſcit. Hæ plantæ vel ſunt floriferæ vel non, floriferæ gerunt vel florem apetalum, vel florem bracteis inſtructum, & hæ omnes fere ſunt bulboſæ, hæque dicuntur non habere caulem in ramos expanſum, ſed caulem florigerum, & in his ovarium in tribus loculis diviſum, ſeu triloculare eſt, & ſinguli loculi ſeminibus multis repleti ſunt, Hæ porro poſſunt dividere vel à radice vel à flore,

ra-

radix plerumque eſt bulboſa, hinc totum hoc genus dicitur bulboſum, quandoque verò radix eſt tuberoſa, quandoque etiam graminea, hinc diſtinctio à radice ſumi non poteſt, à flore verò ſunt vel flore monopetalo vel hexapetalo, & in una familia tripetalo ut Ephedra. Hæ rurſus vel includunt fructus in ovario ſub flore vel fructum gerunt ſeu ibi flos innaſcitur fructui.

Aſphodelus.

Character. Caulis rotundus, politus, fortis, ramoſus, folia Porri, ſed longiora, & anguſtiora; flos in baſin uſque fere diviſus, nudus, ſtellatus, ovarium complectens inſtar calicis; ovarii apex emittit ſex ſtamina & tubam longam ex centro fit dein fructus obrotundus, carnoſus, triangularis in tria loculamenta in quibus ſemina triquetra reconduntur, diviſus; radix multis tuberibus ab uno corpore pendulis conſtans; ſaporis amari & penetrantis. Hæc planta creſcit in locis ſaxoſis.

Nomen. *Aſphodelus* vocatur ab ἀσφάλις *firmum* & à *Plinio* dicitur *haſtula* ſeu *baculus regius*, quia dum floret, caulis regi ſceptri effigiem refert, herba eſt quam alio nomine Antericon vocant, qua *Lucianus* fingit manes veſci apud inferos.

Vires. De hac planta *antiquus poëta Homerus* græco carmine cecinit, quod latinè ſic ſonat, ſtulti neſciunt, quod ſemper dimidium plus ſit toto, & ignorant quam adjumentum in Malva & Aſphodelo ſit, quod eſt enigma, quod hac ratione ſolvitur, olim dicitur has plantas pro cibo eſſe adhibitas, quod erat viliſſimum

nutrimentum, si vero quis vellet carissima alimenta assumere, ille postea etiam vilissimis carere debet, sic dicitur dimidium plus toto, quia postea nil habent quod edant; Asphodelus verò jam à porcis editur, sed in hominibus vomitum ciet, hinc dubium est, an Veterum Asphodelus sit notus, dicitur verò à veteribus quod si assumatur, quodtum pro cibo inserviat, si vero radix infundatur vino, tum venena expellit; radix conducit in urina & menstruis provocandis, & ulceribus detergendis.

Lilio-Asphodelus.

Character. Caulis tenuis, satis rectus, politus, nudus, in summitate in multos ramos divisus, flos Lilii sed monopetalus, profundè dissectus, infra tubulatus, flori succedit fructus fere ovatus triangularis, in tria divisus loculamenta, continentia semina subrotunda, nigra, splendentia; radix Asphodeli Napiformis, externè flavescens, interne albescens saporis subdulcis. Hæ plantæ crescunt in sylvis magnâ copiâ. Asphodeli sunt plantæ duriores frigus hyemale, ejusque vicissitudines facile ferentes.

Nomen. Lilio-Asphodelus vocatur à *Lilium* & *Asphodelus*, quia de Lilio & Asphodelo aliquid participat.

Hyacinthus.

Character. Caulis erectus, nudus, politus, rotundus, in spicâ floriger caryophilli aromatici figurâ; folia longa, angusta, virida, splenden-

dentia; flos hermaphroditus, nudus, monopetalos, tubulatus, in ſex ſegmenta, extrorſum flexa diviſus, carophilli aromatici figura, arctè complectens ovarium ſtamina ſex, coloris plerumque cærulei, aliquando albi, aliquando purpurei vel carnoſi, odoris grati; flori ſuccedit fructus ſubrotundus fere trigonus diviſus in tria loculamenta, ſemina ſubrotunda vel plana & nigra continentia; radix bulboſa alba; tota planta habet ſuccum viſcoſum, creſcit in pratis juxta vias cognoſcitur hæc planta ex radice bulboſa, quæ unica modo excipitur, quæ dicitur Hyacinthus tuberoſa, omnes verò habent florem diverſiſſimum, ſed tamen omnes Hyacinthi dicuntur, & quia Hyacinthus Veterum habet florem caryophilli, hinc Gallis vocatur *Cheroſle*, dein ad Hyacinthos quoque refertur hyacinthi campanulares, ſicut hic character à flore non ſtrictè deſumitur, nam aliter quam plurimas inde claſſes formare debemus; omnes Orientales ex Aſia allati ſunt nempe ex Biſantia, hinc etiam Conſtantinopolitani dicuntur Tripcadi, ut & muſcari quoque multis vocantur, quia referunt vas cavum, ſex horis reflexum, ubique flos hæret ſupra ovarium, dicuntur etiam hyacinthi muſcati, quia odorem Ambri vel Moſchi quandoque ingratum habent.

Hyacinthus tuberoſa.

Character. Caulis erectus, vaginis foliaceis per intervalla cinctus; flores magis Liliacei, longè majores, quam in Hyacinthis bulboſis; radix tuberoſa.

Muscari.

Character. Folia longa, angusta, striata, sat crassa, succo plena, caulis erectus, sat crassus, rotundus, sine foliis; flos hermaphroditus, monopetalus, urceolatus, vel arbuteus, ad oras in sex crenas reflexas divisus, atque in fastigio caulis in racemum congestus, denso agmine aggestum, odoris aromatici & valde grati fere moschi; flori succedit fructus sat crassus, triangularis, divisus in tres loculos continentes semina rotunda, & nigra; radix bulbosa, albescens, habens multas tunicas, saporis amari. Dicitur & Hyacinthus Botriodes à forma florum in unum acervum aggestorum instar botri uvarum, hinc longa stamina habentur, & totus bulbus est floriger, quasi corinlus *een paruyk Muscar* ab odore.

Hyacinthus stellatus.

Character. Folia & habitus Hyacinthi; flos hexapetalus Ornithogali more expansus, staminibus angustioribus; flori succedit fructus Ornithogali subrotundus; radix bulbosa.

Nomen. Hyacinthus vocatur ab *ια Viola* & *Cynthus*, quod erat cognomen Apollinis, quasi *Viola Apollinis.* Vox Hyacinthus est antiqua, & jam ab *Homero* & *Hesiodo* de ea fit mentio, dicitur, quod Apollo amaverat puerum pulchrum Hyacinthum dictum in sparta, & cum Apollo ludisset cum eo & discum exercuisset (ut ibi mos erat) tum Apollo discum in ignem projicit, tum dicitur Eurum iratum Apollinem sic amare puerum discum projecisse in

in caput Hyacinthi, qui inde mortuus, & ab ejus cruore effuso nata est planta formosissima Hyacinthus; verum non scimus, an hic sit Hyacinthus Veterum: verum *Virgilius* canit de Deiphobo, quod plantam creaverit & animi? inscriptum, quod est particula plorantis, quia sic dicitur Apollo mortem Hyacinthi deplorasse, sed hæc planta hoc signo notata est Consolida Regalis seu Delphinum ante descriptum: *Rapinus* de illa planta canit.

Namque sub Eurotam dum Phœbus torquet in auras
Imprudens discum, pueri per tempora venit.
Obliquus, pariter de vulnere palluit isto,
Et Deus, & juvenis, fuso de sanguine surgit
Flos novus & primos Phœbi testatur amores.

Ovidius plura de hac planta habet; *Martialis* cantat.

Flectit ab inviso morientia lumina disco
O Ebalius, Phœbi culpa, dolorque puer.

Hi verò Hyacinthi hic recensiti videntur esse Hyacinthi non scripti id est non notati tali nota, hinc Poëta canit.

Dic quibus in terris inscripti nomina Regum
Et Phillida habebis ——— ———

Hoc verò dicitur de Hyacintho scripto.

Vires. Bulbus horum Hyacinthorum est venenatus, nam ingentem vomitum producit.

Colchicum.

Character. Folia Lilii; flos nudus, monopetalus, tubi tenuissimi formâ ex ipsâ radice ortus; ovarium intra tubum inferiorem floris, tubâ longâ instructum, fit fructus trigonus, oblongus, trilocularis, fætus seminibus rotundis; radix gemina, tuberosa, rotunda, avellanæ magnitudine, compressa, albida, carnosa, quarum una exterior elapsi anni sterilis, marcescens, altera in fibras porrecta, intra priorem latens, plantam ferens uno involucro membranaceo obducta, saporis dum recens acerrimi, dum annosa subdulcis farinacei paululum viscosi vel lenti, odoris nullius; hæc planta crescit in pratis & montibus. *Rapinus* de hac planta canit.

Ipsa etiam tollunt humili se Colchica thyrso,
Quorum vagina flores rumpuntur ab arcta
Diversi, & varios fundunt per rura colores.

Hoc anno inveni, primam esse hexapetalam, non hexapetaleudem.

Nomen. Colchicum vocatur à *Regno Colcho*, ubi dicitur *Medea Venefica* regnasse *Mingrelia* dicitur, quia venenata in hac aula culta est, uti in aulis fieri folet, vocatur quoque *Hermodactylus* propter venenatam vim, *Ephemerum* ab ἐπί & ἡμέρα *dies*, quia ejus flos tantum uno die durare dicitur. Quidam Botanicus dixit se hujus bulbum gustasse & primo percepisse saporem instar castaneæ, sed dein fauces mirificè constringebantur, sed sumpto lacte curatus est.

Bul-

Bulbocodium.

Character. Folia, flos, habitus Croci angustissimo folio; flori succedit fructus obrotundus, triangularis, divisus in tria loculamenta, continentia semina fere rotunda, nigra; radix bulbosa, binis tuberibus perpendiculariter cohærentibus & rostratis constans, saporis viscosi, subdulcis cum quadam acrimonia. Hæc planta crescit in pratis & locis humidis. Hæc planta à croco modo in eo differt, quod habet radicem rostratam.

Crocus.

Character. Folia angusta, graminea, striata, lineâ mediâ albâ divisa, septem, ut plurimum, thecâ membranaceâ involuta; flos Liliaceus, monopetalus, inferius tubulatus, in sex partes profundè dissectus, sustinetur pedunculo ex apice radicis minoris orto; Ovarium in imo floris fundo emittit tubam longam, apiculis ternis instructam, fit fructus oblongus, trigonus, trilocularis, semina rotunda gerens; radix gemina, tuberosa, carnosa, superiore minore, recente, plantam emittente, non fibrosa, insidente majori simili ad inferiora emittenti, fibras ab elapso anno, quo fuit superior, superstiti, utraque involucro membranoso involuta; hæc planta in Galliis colitur.

Nomen. Crocus dicitur à *Croco puero* (ut poëtæ fabulantur) qui quum Smilacem puellam tenerrimè deperiret, amoris impatientia versus est in florem sui nominis; hinc *Ovidius* canit.

Et Crocon in parvos verſum cum ſmilace flores.

Rapinus.

Nec deerunt Clytiæ comites, æſtiva ſecundum
Solſtitia ipſe Crocus chara cum ſmilace, virgo
Hæc, puer ille, ſuos promittunt germine flores.

Virgilius.

Et Glaucas ſalices caſiamque crocumque rubentem.

Veroſimile videtur illud nomen derivari à græcâ voce κροκὶς aut κροκη, quod ſignificat pilum vel filum, quia crocus ſiccatus ejus figuram refert; ex dictis apparet, quod hæc ſit antiquiſſima vox; ejus flos Romæ magno in honore fuit, ejusque auram maximè amabant Romani ob odorem ebrios quaſi reddentes homines & ob colorem ſanguineum; bulbus croci eſſet edulis, ſi non eſſet nimis calidus, aliter gratiſſimus eſt ejus ſapor, hinc mures adeo amant ſtamina, ergo 6. qui florem habent, tantummodo odorem præbent, & ex his quoque crocus conficitur, qui ad nos transportatur. Vigeſimus octavus eſt crocus colchinus, hujus flos ſi ſe explicat ad ſolem perfecta grana quaſi aurea præ ſe fert, radix ad Colchicum accedit.

Vires. Hæ plantæ à primo uſque ad numerum vigeſimum quintum non ſunt medicinales, ſed à vigeſimo quinto uſque ad vigeſimum octavum. Hæc planta eſt cordialis, aromatica, pectoralis, anodyna, hypnotica, alexi-

lexiterica, & aperiens; nam habet vires integrè dissolvendi sanguinem, & vidi fæminas defluxisse ab usu nimio croci per menstrua, & viros per hæmorrhagiam narium, dein quoque homines reddit ebrios & somnolentos, sic vidi casum, in quo medicus dederat viro morbo melancholico laboranti crocum nimis magnâ copiâ, qui inde in delirium perpetuum cum risu incidit, & ille non nisi aceto curabatur; hinc debemus nos abstinere a nimio usu hujus herbæ, verum si defectus sit spirituum, si dissolvendi humores si bilis iners, ejusque defectus est supplendus, tum quidem cum prudentia crocus datus convenit, aliter nocet; in asthmate tamen convulsivo, tussi dyspnoea, phtysi, roborando & exhilarando corde, in mensium, lochiorum & fœtus remora, & ictero conducit; frontalibus admotus phrenitidem, maniam & cephalalgiam à frigido ortam tollit, in syncope & palpitatione cordis externè ventriculo applicatus eum roborat, membris paraliticis & induratis impositus mirè discutit; crocus in aqua rosarum infusus prodest in variolis ad oculos lavandos. Hæc planta conducit in colica & ingreditur multas compositiones.

Narcissus.

Character. Folia Porri; caulis excavatus, striatus, nudus; flos nudus, inferius angustus, tubulosus, supra hexapetaloïdes, instar stellæ expansus, in centro suo gerens coronam floralem, campanæ, vel tubo similem, stamina gerit sex: innascitur vel parti supremæ ovarii, quæ fissa in tres partes continetur intra coro-

coronam in his, qui gerunt tubum pro coronâ, vel innaſcitur parti ſupremæ longæ tubæ, in iis, qui campanulam habent pro coronâ; finis pedunculi gerit ovarium, quod in iis, qui unum florem ferunt in uno calice, tegitur unâ longâ tubâ, quæ ſimulat calicem membranaceum, vaginalem, in iis verò, qui plures flores quaſi umbellatim producunt, vaginâ hæc infima pedunculorum obtegens, ovaria relinquit nuda; ovarium fit fructus oblongus, trigonus diviſus in tria loculamenta, continentia ſemina ſubrotunda, nigra, amara; radix bulboſa, externè nigricans, internè albeſcens, viſcoſa amara; hæc planta in hortis colitur ob pulchritudinem & ſuavem odorem floris. Ovarium hujus plantæ habet vaginam membranaceam, quæ pro calice monophilli haberi poteſt, nam ovarium ambit, & includit, verum in aliis adhæret pedunculo, hinc dubitandum an calix ſit, ſecundæ claſſes dicuntur Orientales, quia ex Conſtantinopolitano allati ſunt; tertiæ Claſſes habent folia junci, & hi ſunt vel polyanthei plerumque, ſed quandoque monoanthei Gallis à foliatura dicuntur *Jonquille.* Omnes hi ex Hiſpania allati ſunt & propriè Narciſſi dicendi ſunt, nam Numero tertio mirificem odorem ſpirat.

Nomen. Narciſſus vocatur à *ναρκὸς* vel *ναρκὴ torpor* vel *ſopor profundus*, quia floris odor capitis gravedinem & ſtuporem conciliat; hinc *Plutarchus* dicit hanc plantam ſacram eſſe diis infernis, unde *Theocritus* dicit in atrio lethi conſanguineus ſopor. Hic primi Narciſſi videntur eſſe Narciſſos poetarum, de quo Narciſſo fabulantur, Narciſſum puerum fuiſſe Cephiſi amnis, & Lyriopes Nymphæ filium,

tantæ

tantæ formæ præſtantia, ut quum aliquando ad fontem bibiturus acceſſiſſet, conſpectæ ſuæ imaginis amore captus, quum nulla potiundi amoris ſpes eſſet, nimio deſiderio contabuerit, & in florem ſui nominis commutatus ſit, hinc *Rapinus* canit.

Nec mora flaventi Pallebit multus in auro
Narciſſus, miſer ah! quondam puer, ille ſub undis
Dum te contemplatur, amat; ſed perdit amantem
Forma, novumque facit pueri de corpore florem.

Et *Virgilius*

Nuſquam corpus erat croceum medio de corpore florem.
Inveniunt foliis medi cingentibus albis.

Sic ut perfectè hic Narciſſus ibi deſcribatur, licet *Virgilius* quodammodo contradicere videatur, veteribus omnes Bulbocodii dicebantur, quia in omnibus his cruda radix ſtomachum ſubvertit.

Vires hujus plantæ ſunt, quod 1. odor ſit ſoporiferus, 2. quòd bulbus ſit emeticus, & in chirurgicis detergens, maximè conglutinans & reſolvens.

Iris.

Character. Folia longa, dura, ſtriata, acuta; caulis rectus, rotundus, pulviſculo farinaceo inſtructus, in tres ramos diviſus; ad flores ſubſunt bini calices membranacei, ſe mu-

tuo

tuo ſuccingentes, vaginarum inſtar, flos hexapetalus, tribus petalis, bifidis, ſurſum, tribus deorſum, flexis. Supinæ parti inferiorum petalorum congeries ingens, fiſtularum incumbit inſtar barbæ. Ex ima ejus origine oritur quoque maſculinum ſtamen, cavâ thecâ petaloïde ſollicitè defenſum. Flos hic innaſcitur apici ovarii emittenti barbas illas & thecas tanquam thecas, atque hinc flos apparet enneapetalos; Ovarium ex fine pedunculi notum fit fructus oblongus, trigonus, fætus ſeminibus obrotundis; radix oblonga, carnoſa, repens, flexilis, tuberoſa, digitum craſſa, paululum compreſſa, externè coloris rubicundi, flaveſcentis aut griſei, internè albi, ſaporis amaricantis, acris, ſubpinguis, odoris fragrantis & violacei. Hæc planta creſcit in muris & multis aliis locis.

Nomen. Iris vocatur à *varietate colorum floris arcus cæleſtis ſpeciem referentis.*

Vires. In his plantis ſuccus eſt acerrimus vix Thytimalo cedens, inflammans, exurens, & hinc ſæpe à teneris pullis in ore retentus, labia inflammatur, quod malè inſectis venenatis flori, ut putatur, inſidentibus tribuitur; hinc ergo hic ſuccus ex herba viridi expreſſus magnam vim habet ad expellendam aquam hydropicam, ſi indicatur, hoc tutò fieri poteſt; radices pulverizatæ ſternutationem faciunt; Iris florentina Enula mitior eſt & jucundior, ſed pinguior, guſtu tamen in receſſu non nihil faſtidioſa, præcipue ſi recens ſit, hinc alvum puerorum magis lubricat, & certis in conditionibus vomitum movet; in tuſſi quoque convenientior & moderatior eſt, movens ſimul urinam, eamque violaceo odore inficiens, paſſiones tormino-

minoſas & pavores infantum compeſcere & ad ſomnum diſponere dicitur; ſi cum croco exhibeatur, ob ſubſtantiam levem, farinaceam & poroſam abſorbet, abſtergit, hinc in oſſibus denudatis & capillis humentibus inſpergitur. Omnes Anguſtifoliæ, Irides ad Hermodactylos referuntur, quia vomitum faciunt.

Hermodactylus.

Character. Folia anguſta triquetra, vel quadrangula; radix tuberoſa, ex appoſitis tuberculis compoſita, rotunda, avellanæ magnitudine, compreſſa, externè coloris rubicundi, internè albi, ſubſtantia levis, fungoſa, fragilis, hinc facile in pulverem farinaceum reducitur, dum recens eſt ſaporis acerrimi, dum annoſa ſubdulcis farinacei, paulum viſcoſi, vel lenti, odoris nullius; flos omnino ab Iride differt, nam refert volitantem Veſpertilionem, hinc dicitur horticulis Iris belgicè *fleermuys*.

Nomen. Hermodactylus vocatur ab ἑρμῆς, *Mercurius* & δάκτυλος *digitus*, quia radix phalanges digitorum refert.

Vires. Radix hujus plantæ habet tuber exiguum, quod validiſſimè ſurſum deorſumque purgat; hinc laudatur in podagra, ut profunda purgans; ſæpe hæc radix propter annoſitatem omni virtute catharctica orbata eſt; commendatur hæc radix in gutta ſerena tanquam ſpecificum; additur zinziber propter ejus viſcoſitatem tormina cauſantem.

Xiphion.

Xiphion.

Character. Folia longa, lata, mollia, coloris viridis pallidi aut albeſcentis; flos & fructus Iridis; radix bulboſa, externè nigricans, internè alba, ſaporis dulcis; hæc planta creſcit in regionibus calidis ut in Hiſpania.

Nomen. *Xiphion* vocatur à *græcâ voce*, ξίφος, vel ξιφίδιου *parvus gladiolus ad utrumque latus ſcindens & ad apicem pungens*, quia folia hujus plantæ gladiolum referunt, hinc eſt idem nomen cum gladiolis niſi quod illud ſit latinum hoc græcum, quod *Tournefortius* ſic voluit.

Vires. His ut & Gladiolus vis acris ineſt.

Gladiolus.

Character. Folia longa, anguſta, acuta, dura, fortia, ſtriata, gladium figura referentia, caulem undique ambientia; caulis rotundus, aliquantulum nodoſus; calix bifolius, binis foliolis, vaginalibus ovarium & ei impoſitum tubum floris, ſuſtinet; flos monopetalus Liliaceus, in exortu infundibuliformis, ſupra verò ampliatus & in ſex magna ſegmenta fiſſus, quorum tria ſuperiora, majora latiora plus erecta, tria inferiora, longiora, anguſtiora, deorſum quaſi pendula, ut flos quaſi bilabeatus appareat, habens tria ſtamina enata ex pariete interno tubi floris, & inſidens apici ovarii; Ovarium fit fructus oblongus, trilocularis, fætus ſeminibus rubicundis ſubrotundis, calyptrâ involutis, habetque tubam ortam ex centro apicis ovarii & inſtructam tribus cymbis

bis cavis pro apiculis ſuis; radix carnoſa, tuberoſa, gemina, altera alteri incumbens. Hæc planta creſcit in pratis.

Nomen. Gadiolus vocatur à *Gladio* quia folia hujus plantæ gladium referunt.

Cannacorus.

Character. Caules ex radice erumpentes, craſſi, per intervalla nodoſi, folia ampla, lata, longa, nervoſa, in extremitate acuta, coloris viridis pallidi, ſaporis herbacei, cum quadam acrimonia; flos monopatalus, tubulatus, in ſex ſegmenta ſciſſus, à calice comprehenſus tubulato; ovarium fit fructus rotundus, membranaceus, trilocularis, fætus ſeminibus ſphæricis coloris obſcuri aut nigricantis; radix tuberoſa, perennis, nodoſa. Hæc planta creſcit in regionibus calidis.

Nomen. Cannacorus vocatur à *Canna*, quia ſcapum habet, & *Acorus*, quia fructum & radicem Acori fert.

Vires. Quatuor præcedentes laudantur à florum formâ; quinta eſt Indorum Crocus, & vocant vocabulo ſuo curcum, ſic etiam Arabes vocarunt, unde expreſſerunt ſuccum, qui erat valde ruber & pinguis, hinc dicitur Curcuma; laudatur ad artem tinctoriam; in medicina verò à vi calefaciente detergente & balſamica; & utitur contra morbos bilioſos, & icterum; ſic ſemper eſt inanis impreſſio Botanicorum, ut putent, Deum poſuiſſe ſignum vel notam in plantis, unde prudens Medicus cognoſci poſſit virtutem, inde dixerunt contra Icterum valere, quia urinam croco colore ilico tingit, ſed videtur quoque hic locum i-

veni-

venire, quia hic ſuccus intactus penetret per arterias, venas, viaſque urinarias, & quia ſic intactus tranſit in renes, hinc eo facilius agit intactus in hepar directè per venas meſericas, antequam ſanguini miſcetur, & ſic ictericis prodeſt.

Cardamomum.

Character. Flores & racemi fructuum in caule peculiari non folioſo ex radice orto; flores tetrapetali, difformes ovario inſidentes; fructus triloculares, polyſpermi, acini anguloſi ex fuſco nigricantes involuto tenui & albicante pellicula, ſaporis acris & aromatici, ejusdemque odoris, hic loci non floret, nec ſemina fert, ſed ſunt fere ut in Cannacoro.

Nomen. Cardamomum vocatur à *Momum Veterum*, quod à ſuis cæleſtibus virtutibus celebratur & καρδία quaſi *Momum Cordis*, hinc nomen *Cardiacum a ſapore acerrimo Indorum Camphoram æmulante.*

Vires ſunt mirabiles, oleum habet adeo aromaticum, ut ſpiritus vitales refocillet, calefaciat, flatum diſſipet, vires genitales augeat ſi radix vel ſemina ſumantur, & deſtillent, dant camphoram omnium optimam, & hoc oleum eſt in tanta abundantia in hac plantâ, ut ſi deſtilletur per veſicam totam ſerpentem claudat, ne aliquid exire poſſit, hoc tum eſt balſamum, qui Camphora dicitur, ſervatque ſpiſſitudinem, ſic quoque in nonnullis noſtris aromatibus obtinet, nam oleum Aniſi & Fœniculi in ſerpente quoque concreſcit, ut Camphora, ſed facilè tamen liquifit; Camphora verò concreta manet; attenuat, flatus diſcutit, coctio-

coctionem juvat, hinc conducit in affectibus capitis, ventriculi & imprimis uteri, nam urinam movet & menstrua obstructa provocat.

Galanga.

Character. Habitus Cannacori; radix tuberosa, nodosa, majori similis, sed tenuior, digiti crassitiem adæquans, dura, externè & internè rubicunda, odoris fragrantioris & jucundioris quam in Galanga majore; & sapor hujus radicis vi sua caustica saporis piper fere superat. Hæc planta crescit in Indiis Occidentalibus.

Nomen est Indorum.

Vires Hujus plantæ radix manducata ilico se per totum corpus diffundit, & hinc est penetrantissimæ & subtilis virtutis, ergo ab Indis laudatur ad pellenda venena; nos verò utimur, ubi nimium frigoris vel inertis aquæ vel pituitæ abundat, & indè ad scorbutum frigidum laudatur, Galanga minor, quæ efficacior est majori, relinquit post acredinem, intensiorem stypticitatem, unde temperatior est, & in vertigine à vitio ventriculi, in torminibus abdominis, & doloribus post partum specifica est, cæterum nervis & spiritibus in singultu quoque & cordis palpitatione commendatissima est. Cum bucella panis & butyri capiunt pulverem galangæ mulieres Indicæ in doloribus post partum; cerebrum & stomachum confortat, flatus discutit, menstrua obstructa provocat & urinam movet; frustula seu gemmæ radicis solent decerpi à chinensibus, iterumque plantari, etiam seminibus multiplicantur, in

in India Orientali. Galangam conditam habent. Ex hæc planta fit camphora. Hæc planta ad ſeptimum vel duodecimum annum conſervari poteſt; inde fit ſpiritus adeo famoſus, qui in aqua vitæ Matthioli ut & ipſa herba ingreditur.

Zingiber.

Character. Folia Cannacori; flos in ſcapo ſingulari, pentapetalus, difformis, quaſi bilabeatus inſidens, ovario trigono, triloculari, radix tuberoſa, nodoſa, ramoſa, brevis & paululum compreſſa, pallida, fibris crebrioribus dotata, ſaporis aromatici, acerrimi fervidi, inſtar piperis odoris aliquantulum fragrantis. Hæc planta creſcit in Indiis Orientalibus.

Nomen. Zingiber vocatur â ζιγγὶβερι quod idem ſignificat.

Vires. Tales virtutes habet, ut credam, ſi non tam latè creſceret in Indiis, quod quidem auro carior foret; radix habet aroma ſubtile, ut ſi aſſumatur in ventriculum abſque obſtipatione perſpiret, hinc *Helmontius* jure commendavit radicem Zingiberis in aceto coꝏa, & melle edulcorata, tum optimum ſudoriferum eſt, & venenum peſtilentiale expellens. Radix condita frigido ventriculi eſt incomparabilis, & ſyrupus hujus conditi egregii eſt uſus ad vetuſtiſſimam tuſſim ſuperandam, ſi nempe ſumatur ejus dragma una vel duæ mane jejuno ventriculo, ſuperbibendo lac, & hoc propterea boni Zingiber habet, quod quidem calefaciat, ſed ſubtiliter, nec tam calidus eſt ac Galanga, ita ut omnes fere Medici teſtantur in ipſis

ipſis morbis acutis adhiberi poſſe ; variæ ſunt ſpecies Zingiberis, quæ tantum differunt ratione fibrarum, quo verò plures fibræ, eo ignobilius, quo pauciores eo præſtantius, ſed hæc ultima ſpecies rarius in officinis proſtat; cum Zedoaria convenit, excepto camphorato odore, hinc tanta vis alexipharmaca non ineſt, gratius quidem eſt, ſed acrius calidius & magis deſſiccativum; melancholicis & cholericis largior uſus Zingiberis non conducit, quia humores nimis exſiccat, & ad motum ineptiores reddit; in morborum declinatione mirè appetitum reſtaurat; recens effoſſa vim habet laxandi alvum, præcipuè ejus ſuccus expreſſus, hæc radix ingreditur multas compoſitiones.

Zedoaria.

Character. Radix tuberoſa, brevis, compreſſa, externè cinerea, internè candida, quando cortex exterior eſt detractus, paucis fibris intertexta, ſaporis amaricantis aromatici, acerrimi & fere ignei odoris fragrantis ad camphoram aliquantum accedens.

Vires. Ex hac radice fit camphora, ita ut ſerpens plane obſtipetur, & ipſa radix recens ſciſſa odorem Camphoræ habet, inde ergo fit optima Camphora. Hæc planta eſt calefaciens & penetrans. Indi folia contuſa imponunt vulneribus ab animalibus venenatis ſerpentibus aliisque factis, ſuperbibendo ejus decoctum. Hæc planta conducit in colica flatulenta, lienteria, & ventriculi morbis, ſudorem movet, phlegma contumax pulmonum potenter diſcutit, in aſthmate etiam convenit, in nauſea poſt crapulam; vermes necat.

Aloë.

Character. Folia longa, integra, ſemper virentia, arctè craſſitie ſua ſibi mutuo juncta, plerumque ſucculenta, craſſa, carnoſa, crenata, in margine acuta, Sedis fere accedentia; flos monopetalus, tubulatus, infra prominens in ventrem, ſupra anguſtior, & ibi in ſex ſegmenta ſciſſus, nudus, clavo Hyacinthino affixus, ſex ſtaminibus præditus; fructus oblongus, trilocularis, cylindraceus, hexagonus fœtus ſeminibus ſibi mutuo impoſitis planis ad loculamentum ſuum accommodatis quaſi ſemibus circularibus, aliquando flori ſuccreſcens, quandoque verò floris corpore tectus; radix perennis fibroſa vel & tuberoſa.

Nomen. Aloë venit à prima craſſa tuberoſaque radice, quamvis in multis africanis jam detectis eſt filamentoſa, hæcque jam eſt Aloës Veterum, ſecunda ſuccum paulo fætidiorem & folia maculata habet tertia Aloë ſoccotrina, quæ eſt inſula, unde deducitur, non verò hic debet ſcribi ſuccotrina, nam hoc male, hoc quadruplo carior aliis venditur, & hæc eſt propriè dicenda Zoccotrina; ſed unde nomen? putant nonnulli ab ἅλς *mare* ſed hoc falſum, nam eſt vox Arabica vel hebraica, nam in ſacris hæc invenitur, ſi folia recentia rumpantur, tum apparent canales, qui ſuccum aureum fundunt, & illa eſt Aloë puriſſima, & illa patina ſuppoſita excipitur, habet etiam venas viridem ſuccum ferentes, qui hic non admiſcendus eſt. Naſcitur in Arabia, Perſia, America, Africa & Ceylon. Prima & ſecunda creſcit inter Arabiam & Æthiopiam.

Vires.

Vires. Aloë soccotrina est succus gummosus & resinosus ex fusco nigricans dum fractus in lamellas, splendens & pellucidus ex foliis imo & planta transversim versus radicem dissectis, sponte sua in vere, ubi succi nutritii luxuriant in suppositas patinas amplas destillans, vel etiam expressus, in quibus à sole condensatur & exsiccatur, inde ulterius inspissatur, & quo diligentius hæc fiunt, eo pellucidior & nobilior fit, saporis & odoris cum hepatica ejusdem; colligitur in insula succotra; hinc ille succus se sponte in duas partes separat 1. in spissiorem fundum petentem, 2. in tenuiorem supernatantem, Aloë esse optima cognoscitur splendore, friabilitate, solutione in aqua, quod in fundo ab illa fœculentum remanet, id aloen caballinam constituit. Caballina est Aloës Asiatiæ succus gummosus, nigricans, priori ponderosior crassior ac impurior, expressus ex foliis Aloës dissectis, in sole concretus & saporis subacris, amarissimi, nauseosi, odoris gravioris quasi picei & myrrhati, conficitur etiam in omnibus Maritimis Indiæ Orientalis tractubus. Hepatica est Aloës Asiaticæ succus gummosus & resinosus, externè fuscus, internè flavescens, hepatis instar, ex foliis Aloës expressus, imo & plantis transversim versus radicem incisis, in patinas ampliores exstillans, in sole concretus & condensatus, saporis acris amarissimi, nauseosi, pinguis oleosi & adstringentis, odoris fragrantis ad Myrrham accedentis. Colligitur Hepatica in China non socotra; hinc tantum differunt Hepatica & succotrina non nisi loco natali. *Galenus* dicit succum aureum sponte stillantem innoxiè purgare, nam dicit

 idem

idem esse an granum unum vel decem sumantur, sed de hac re tamen dubito Amarus ejus succus resistit putredini, hinc veteres Ægyptii hoc usi sunt ad condienda cadavera, ut *Ruyschius* hodie perfectè excoluit, apud *Galenum* dicitur, Hiera picra officinalis belgicè *bitterheylig* verum an hæc sit aloë, deque in sacris proverbiis legitur dubito, nam ibi scorta dicit, venias ad lectum meum, quod suavi aloës fragrantia olet. Indi dicunt, quod homines omnia ad vitam requisita ex quinta vel sexta habere possint, hi succum exprimunt, huicque succo fermentationem conciliant, & sic inde vinum maximè inebrians faciunt exprimendo primo succum & tum in farinam adigendo; ex foliis filamenta ducunt, & inde pannos faciunt ad tegumenta & vestes, ut nos ex lana. Quarta laudatur pro summo nutrimento in usus humanos, uti incolæ testantur circa Mekiam, crescit in ingentem altitudinem & folia rigidissima habet; Hæ pro muris in propugnaculis inserviunt arcendis prædonibus, totum folium spinosum & filamentosum est nostratibus *Naeldendraet*, succus ex calice est edulis & nutrit ut rapa. Sextæ foliis utuntur Indi pro gladiis, nam hæc folia valde aculeata & spicata sunt, & valde hos homines nudos lædere possunt. Mirum quod in his omnibus observavi, quod à nemine notatum legi, nempe quod ex flore semper mel dulcissimum stillet, licet cæterum planta sit amarissima, nam in proverbio est vita plus Aloë quam mellis habet. Hepatica quæ mihi optima videtur vim purgantem habet in substantia gummosa, cui quippiam mucaginis resinosæ, in qua vis styptica & balsamica juncta est, purgat blan-

dè

dè & in ſpecie humores bilioſos; ſpecificum habetur in affectibus capitis, in præcavenda putredine, in omnibus morbis à bile oriundis. Aloë eſt virtute abſtergendi & attenuandi valens, mirè liquida reſolvens, nam ipſæ ſanguinis partes divilluntur hoc interpoſito, valet vi ſumma revellendi aut reſolvendi reſinas & gummata, ut evadant aquæ ſimiles, hinc ſumma vis aperiens & attenuans ſanguinem ei ineſt, princeps eſt emmenagogum & ecbolicum aperiendo & expellendo agens, ad menſtrua obſtructa & fœtum expellendum commendatur, gluten in primis viis reſolvit, peſſimè adhibetur, ubi vaſa tenera & putrefacta ſunt, hinc venenum mulieribus teneris, Phtyſicis, nimiis uterinis fluxibus & hæmorrhagiis, ſed ad pituitoſos humores expellendos ſummum neque ulli comparandum eſt remedium; inde fiunt pilulæ & emplaſtra contra vermes, vis ei ineſt balſamica, in quam in æternum conſervantur animalcula, ob ſingularem acredinem excitat hæmorrhoidum fluxum, venaſque hæmorrhoidales aperit, quod tamen impeditur Aloë roſata & violata facta; externè ulcera & vulnera mundificat, toſta & virtute purgante orbata vim adſtringentem habet, & propterea in fluxibus quibusvis ſanguinis ſpecificum eſt. Indi utuntur Caballina pro incruſtandis navibus picis loco.

Aloides.

Character. Caulis craſſus, fungoſus, compreſſus, explicatur in calicem bifolium, compreſſum, craſſum, fungoſum viridem, qui conſtat binis vaginis ita excavatis in carinam,

ut forment quasi chelas cancrorum. Hæ vaginæ arctè se invicem amplexæ sollicitè tegunt florem ovariumque. Ex centro calicis descripti & fine medio pedunculi assurgit pedunculus alius crassus, fungosus, sustinens ovarium oblongum, divisum in sex loculos per sepimenta fungosa distinctos, quorum singuli gerunt unum semen forma Avenæ. Ex apice producto ovarii emergit caliculus monophyllus, crassus, explicatus in tria magna segmenta, longa, viridia; flos tripetalos oritur intra illum calicem, ex margine apicis ovarii, habens petala tria, magna, expensa instar Rosæ, intra quæ petala stamina nascuntur multa usque ad viginti. Ex eodem apice ovarii assurgunt sex tubæ, incurvæ extrorsum flexæ, ita bifidæ, ut fallant incautos specie duodecim tubarum; hæc in aquis, hic & in aliis fluminibus crescit, hæc planta bullas aëreas habet, quia tempore calido nempe æstate ab aëre in his rarefacto tumescunt, hinc planta adscendit ad aquæ superficiem, hyeme verò aëre condensato in bullis fundi nectit, hinc belgicè dicitur *Waeterruyter.*

Nomen. Aloides vocatur ab *Aloë*, quia Aloën refert.

Yucca.

Character. Habitus Arboreus; caulis lignosus, tortuosus, nodosus, verrucosus, fragilis, medullosus; folia Aloëtica, rigida, aculeato apice, angusta, longa, sempervirentia, orbiculatim ad caulem nascentia, una in acumen desinentia; flores monopetali, campaniformes, in sex segmenta fissi, nudi, in longas spi-

ſpicas uno verſu diſpoſiti, complectentes ovarium, quod fit fructus tricapſularis ut Aloë; radix craſſa, quaſi tuberoſa, oblonga, externè coloris obſcuri, internè albi. Hæc planta creſcit in multis regionibus Americæ & Braſiliæ.

Nomen. Caſparus Bauhinus hanc plantam vocat *Manihot Indorum ſive Yucca foliis cannabinis*, & *Joannes Bauhinus Manihot Thevati Yucca & Caſſavi.*

Vires. Radix craſſa & carnoſa pulpam mollem præbet, quidam tanquam toxicum, alii ut eſculentum commendant Vide Hiſtoriographos. Radix recens commeſta eſt venenata, ſed contuſa & in ſole exſiccata in farinam redigitur ſucco expreſſo tum inde fit panis, qua communiter veſcuntur Indi, ſuccus hujus radicis eſt adeo venenatus, ut illum in terram profundè derivent, ne ab animalibus deguſtetur, nam aliter inde certò morerentur.

Ephemerum.

Character. Folia hic graminea; calix trifolius; flos tripetalus ovario ſuppoſitus, roſaceus, habens ſtamina tria; fructus oblongus, trilocularis, fœtus ſeminibus grano tritici æmulis; radix fibroſa.

Nomen jam à veteribus notatum & apud *Nicandrum medicum Poëtam*, tum dicebatur herba quædam contra ictus aranearum & ſcorpionum efficaciſſima, ſed nos neſcimus, quid Phalangium Veterum fuerit, hinc nil de ejus virtute ſcimus.

Vires non ſunt medicatæ nec venenatæ.

Phalangium.

Character. Folia longa, angusta; caulis ex imo foliorum erumpens, rotundus; flos nudus, hexapetalus, sex staminibus præditus, amplectens; ovarium subrotundum fœtum seminibus angulosis, radix fibrosa. Hæc planta in locis montanis & aquaticis crescit.

Nomen. Phalangium vocatur, quia veteres hac planta puncturas phalangium digitorum curabant. Quarta & quinta sunt plantæ rhisophoræ id est quæ ferunt ex foliis radicem, & harum radix accedit fere ad Asphodelum, sed flos est Phalangii; magnus fuit error in omnibus fere botanicis veteribus de virtute plantarum agentibus, in quem peritissimus *Dodonæus*, qui omnes libros perlustravit, etiam incidit, quod si à veteribus plantæ cuidam nomen tribueretur, hoc ilico huic plantæ, cui nomen hic forsan postea ab aliis impositum est, tribuerunt, quod *Clusius* correrit.

Liliastrum.

Character. Folia longa, angusta, excavata, satis solida, acuta, viridia; caulis rotundus, durus, viridis; flos hexapetalos, nudus albus, odoratus, staminibus sex præditus, complectens; Ovarium oblongum, continens semina angulosa; radix Asphodeli; hæc planta crescit in montibus circa Alpes.

Nomen. Liliastrum à *Lilio* vocatur, quia hanc plantam refert.

Methonica.

Character. Folia alterna, liliacea, apice in viticulum exeunte; caules ſcandentes; flos nudus, hexapetalus, petalis eleganter ſinuoſis, penitus retrorſum flexis, ſtaminibus ſex prædítus, ovarium in ſuo centro gerens; ovarium fit fructus ovalis, trilocularis, ſemina rotundula gerens; radix carnoſa, formâ normæ Orthogoniæ, venenatiſſima.

Lilium.

Character. Caules foliis numeroſis cincti, recti, rotundi; folia longa, ſatis ampla, ſine caule caulibus adhærentia, polita, ſplendentia, tenera, ſuccum viſcoſum habentia; finis pedunculi ſuſtinet placentulam, cui in orbem adnaſcuntur ſex petala, vel modicè extrorſum flexa in Liliis ſic dictis, vel penitus extrorſum convoluta, ut in Martagon; intra hæc petala, eodem ortu ſex ſtamina arctè unita, tubam circumamplexa, capitulis longis inſtructa; Ovarium placentæ intra florem, innatum, trigonum, intra petala & ſtamina cuſtoditum, ſeminibus marginatis, gemina ſerie poſitis, ex centro apicis emittit tubam longam; radix bulboſa, carnoſis ſquamis conſtans, extrinſecus in orbem quaſi ſibi invicem appoſitis, intus alba, extus parum fuſca, ſaporis mucilaginoſi & lenti, odoris nullius; priores uſque ad numerum ſeptimum ſunt petalis rectis, poſteriores verò reflexis.

Nomen. Lilium vocatur à λεῖος *lævis & politus*, quia ejus folia ſunt polita vel à λείριον, quod

idem ſignificat. *Hemoracallis* dicitur ab ἡμέρα *dies* & κάλλος *pulchritudo*, quaſi *flos unius diei*, quia flos hujus plantæ, quæ ita vocatur, parum duret, Lilium dicitur à Poëtis cælo eſſe delapſum, hinc *Virgilius* canit.

Huc ades, ô formoſe puer: tibi Lilia plenis
Ecce, ferunt Nymphæ calathis: ———

Vires. Flos laudatur ab odore contra vertiginoſos capitis morbos & ad refocillandum cor, bulbi inſerviunt pro egregio emolliente, & nullum melius emolliens & laxans in Chirurgicis habetur, ſi in lacte contuſi coquantur ad pultis conſiſtentiam, & applicentur, ubi eſt laxandum, folia quoque ſunt emollientia & laxantia; folia in clavis pedum & induratis puerperarum pudendis ſingulare eſt medicamentum, ejus oleum eſt anodynum, additur quoque Clyſteribus anticolicis, nephriticis & dyſentericis.

Lilio-Hyacinthus.

Character. Folia Lilii; caulis nudus; flos hexapetalus flori Hyacinthi accedens amplectens ovarium, quod fit fructus ex globoſo accuminatus, trigonus, trilocularis, fætus ſeminibus fere globoſis; radix ſquamata Lilii; hæc planta colitur in hortis.

Nomen. Lilio-Hyacinthus vocatur, quia aliquid de Lilio & Hyacintho habet.

Coro-

Corona Imperialis.

Character. Folia Lilii in orbem cauli adnata; flos campaniformis, hexapetalos, petalis internè ad unguem conchâ mellitâ instructis, pendulus, nudus, sex staminibus præditus; ovarium amplectens, in coronam digestus sub coronâ foliosa; ovarium fit fructus oblongus, alatus, continens semina plana sibi invicem imposita, ex centro apicis emittit tubam longam, apice trifido instructam; radix tunicata, parte sessili fibratâ; hæc crescit in hortis.

Nomen. Corona Imperialis vocatur, quia flores sub foliis coronaceis gerit.

Vires. Tota hæc planta est venenata, ut *Wepferus* experuit, ejus odor est narcoticus & fortis, ita ut Castoreum ferè redoleat.

Tulipa.

Character, Caulis unicus, rotundus, medullosus; folia lata, caulem cingentia, longa, crassa, dura, acuta; flos Liliaceus, hexapetalos, formâ urcei, nudus, in fastigio caulis unicus, erectus, sex staminibus præditus & amplectens. Ovarium, quod fit fuctus oblongus, fætus seminibus planis, serie geminâ mutuo incumbentibus, instruitur tubâ, mirè pilosâ; radix bulbosa tunicata, parte sesseli fibratâ; bulbus est Narcisso similis, quotannis renascens, cujus tunicæ in folia abeunt, & caulis assurgit, in quo crescit flos monoanthos, qui in omnibus est nudus sine calice & in omnibus erectus ut in Ptisico.

Nomen. Tulipa est vox turfica significans pi-

leum turcicum. Illa formoſa planta primò à *Geſnero* eſt deſcripta in Europam ex Biſantio allata anno 1590. Batavi & præcipuè harlemenſes pro tali bulba Tulipæ ſæpe centum ducatos perſolverunt, ſic inſaniverunt circa amorem hujus, & nulla planta cognita quam Papaver & Tulipa, quæ in flore tot diverſos & tam facilè mutabiles colores gerit, & illi colores tranſplantando mutantur, & ſi ſemina unius Tulipæ terræ mandentur, per omne genus colorum inde flores producuntur hinc *Rapinus* canit.

Multiplici vincit florum genus omne colorum
Huc uſque ageticis Tulipa miſſa jugis

Vires. Hæc planta videtur habere blandam virtutem emollientem bulboſam, ſed pretium ejus uſus impedivit, aliter ad cæpas accedit, ſed bulbus non ita eſt aromaticus, hinc ille bulbus leniter toſtus dicitur habere bonum nutrimentum & orgaſmum diaphrodiſiacum excitare.

Fritillaria.

Character. Caulis tenuis, rotundus, internè fungoſus; folia mediocriter longa, anguſta, excavata, flos Liliaceus, campaniformis, hexapetalos, pendulus, nudus, plerumque teſſellatus, ſex ſtaminibus fœtus, ovarium complectens; ovarium inſtructum tubâ bifidâ, triplici cavitate pergente uſque ad cava ovarii, fit fructus oblongus, ferens ſemina plana, geminâ ſerie ordinata; radix duobus tuberibus carnoſis conſtat, ex quorum medio caulis ſurgit.

ſurgit. Hæc planta creſcit in pratis & colitur in hortis.

Nomen, *Fritillaria* vocatur à *Fritillo*, quia omnes ſpecies colorem habent variegatum & teſſalatim diſpoſitum, ut in diſcis fit, belgicè *een Schaakbort* of *Dambort*, putatur à nonnullis eſſe meliagris Veterum.

Vires medicatas habere non novi, ſed laudatur apud horticulos ob florum elegantiam.

Lilio-Fritillaria.

Character. Folia Liliacea & caulis; flos hexapetalus, campanam referens, pendulus, ovarium amplexus; Ovarium ut Fritillariæ.

Nomen. Lilio-Fritillaria vocatur, quia ejus flos & totus bulbus eſt Fritillariæ. Hic vero notandum has plantas ut & Lilia, quod heri oblitus ſum dicere eſſe proliferas ſeu bulbiferas inter folia, & ſi naſcatur bulbus, tum flos mas in hac planta fit ſterilis ſine ovario.

Dens canis.

Character. Folia bina aliquando terna, repentia, Cyclaminis ſimilia; flos Liliaceus, hexapetalos, petalis longis reflexis, nudus pendulus, in caule unus; fructus ſubrotundus, fœtus ſeminibus oblongis, flaveſcentibus; radix oblonga, carnoſa, alba, dentis caniniformâ. Hæc planta creſcit in montibus & colitur in hortis.

Nomen. Dens canis vocatur, quia radix canis dentem refert.

Vires. Flos in pedunculo hic oritur media hyeme, & inde amatur, cæterum de ejus virtuti-

tutibus nil referre possum, sed *Clusius* de ea dixit, quod in sabaudia & Hungaria, ubi hæc planta vulgo crescit, matres familias soleant hujus plantæ farinam in pultes suorum infantum coquere partim ad lumbricos pellendos, partim ad nutriendum.

Ornithogalum.

Character. Folia longa, angusta ut Graminis, mollia repentia, excavata, lineam albam in longitudine habentia; caulis rotundus nudus, tener; finis pedunculi ex caule membranula, longa, tenuis; flos nudus, hexapetalos, petalis in orbem expansis, in centro gerens tubum erectum, floralem, hexapetalum, cujus singulis petalis intus ad superiora adnascitur stamen; hic flos, tubus, stamina, ovarium, ejusque tubam arctè amplectuntur; Ovarium tubâ longa, apice sphærico instructâ donatum fit fructus subrotundus, fœtus seminibus subrotundis, nigris; radix bulbosa aut tuberosa, bulbus ferè est ut in Narcisso seu ut in Porro, ut totus habitus ad Porrum accedit; verum in his petala sic eriguntur, ut forment conum, qui amplectitur ovarium, & hinc *Rajus* has plantas sic digessit.

Nomen. Ornithogalum vocatur ab ὄρνις *avis* & γάλα *lac id est planta, cujus flores sunt adeo albi, ut plumæ candidæ animalium plumiferorum*. verum hoc tantum de spicatis verum est.

Vires ut in Cæpis & Alliis, sed non tam fortes.

Scilla.

Scilla.

Character. Folia longa, ampla. lata, cornosa, viridia, succum viscosum & amarum habentia; flores Ornithogalo vel Hyacintho stellari similes, in spica crescentes, antequam folia apparent; fructus rotundus, trigonus, fœtus seminibus nigris; radix bulbosa, maxima, pugnum crassa, cepacea ex pluribus tunicis vel lamellis compacta, inferius multis crassis fibris prædita, saporis acris, amari, odoris nullius. Hæc planta crescit in Hispania, Lusitania & Sicilia circa mare.

Nomen. *Scilla* vocatur à σκέλλω *arefacio*, quia hæc planta crescit in locis aridis & siccis vel à σκύλλω *molestus sum*, quia hic bulbus suâ acrimoniâ loca, ubi applicatur, irritat; hæc planta præter acredinem cum Aro communem possidet amaritiem ingratam & nonnihil nauseosam, hinc præter virtutes Aro communes movet vomitum & alvum, ut Arum in pituitosis affectibus opportunè exhibetur; cruda est valde acris, exurens fauces, hinc siccatur in clibano & sole, præparatur ut Arum, in substantia nunquam detur, inde paratur Oxymel scilliticum adeo laudatum & optimum ad pituitam dissolvendam.

Porrum.

Character. Folia ex tunicis radicis enata, plana, quandoque carinata; caulis rectus, crassus, solidus, succulentus; flos hexapetalus, quasi campaniformis, ornatus staminibus latis, planis, in tria capillamenta exeuntibus, quo-

quorum medium apice donatur ; flores fasciculos colliguntur ; Ovarium fit fructus subrotundus, trilocularis, fœtus seminibus subrotundis; bulbi oblongi, angusti, fere cylindrici, tunicati, politi, splendentes, albi; tota hæc planta habet odorem Allii, & colitur in hortis. Ita Tunicata est hæc planta, ut bulbus in tunicas resolvi possit, & folia modo sunt elongatæ squammulæ bulbi. Semper in his ex vagina membranacea caput florifer exit, distinguitur à Cepa, quod folia hic sint plana, in Cepa fistulosa, & ab Allio sint partim fistulo teretia partim plana, & bulbus multifidus.

Nomen. Porrum vocatur à πράσον, à πράω accendo quasi *planta calorem in corpore excitans.* Duo sunt sunt genera Porro sectivi & capitati, hinc *Martialis* canit.

Fila Tarentini graviter redolentia porri
Edisti quoties, oscula clausa dato.

Et in alio loco de capitato.

Mittit præcipuos memoralis Aricia porros:
In niveo viridis stipite cerne comas,

Vires. Hæc planta habet sal volatile oleosum fætidum, ita ut si bulbus conteratur, tum fiat stillicidium lachrymarum ex oculis & naribus, hinc convenit, ubi calore indigemus, & ubi calor non metuitur, nocet verò iis, qui habent nimiam sanguinis copiam, vel iis qui habent sanguinem nimis dissolutum nempe in mictu sanguineo, hæmoptoë, hæmorrhoidum fluxu ; menstrua obstructa producit, urinam movet, in morsu serpentis & combustione est op-

optima planta, si ejus folia discerpantur, tum sæpe planè florum facies mutatur.

Cepa.

Character. Folia ex radice erumpentia, longa, angusta, fistulosa, acria; caulis nudus, rectus, rotundus, fistulosus in ventrem assurgens turbinatum utrimque; flos hexapetalus, in corymbum collectus, sphæricum; pistillum floris fit fructus subrotundus, trilocularis, fœtus seminibus subrotundis, & nigricantibus; radix bulbosa, tunicata, orbicularis. Hæc planta crescit in hortis.

Nomen. Cepa vel *Cæpa* à *κεφαλὴ caput*, quia ejus bulbus caput refert. Quinta est Ascalonitides Veterum, hinc inversione vocabuli gallis dicitur *schalotte.* Octava vocatur Allium belgicè *bislook.* Hæc herba veteribus pro mira habita est, nam Egyptii hanc pro Deo coluerunt; hinc Poëta canit.

Hos felices esse, cum Dii crescant in Hortis.

Plutarchus in tractatu de Iside & Osiride notat, quod Lunæ (nam tum pro luna habebatur) sacerdotes notaverint, quod omnes plantæ crescerent & succulentiores fierent, luna crescente & decrescente luna, decrescerent; sola verò cepa crescebat, dum luna decrescebat, hinc pro Deo habuerunt, & ejus usus fuit vetitus.

Vires. Nullam plantam novi, qui similem abundantiam salis volatilis habet, quam Porrum, nam nullus bulbus è terra enucleari potest, quin oculi lacrymentur; succus expressus

recens

recens eſt acerrimus, & hinc à medico germano contra calculum maximè laudatur, & cum ſucceſſu adhibetur; notum enim eſt calculum a Cepa diſſilire, hinc dicitur nullum melius eſſe medicamentum ad frangendum calculum; in hydrope, ſcorbuto, lumbricis & abſceſſibus maturandis eſt planta optima.

Allium.

Character. Folia longa, plana non cava; caulis rotundus, politus; flos hexapetalus, pedunculo longo ſuſtentatus, in faſciculum globoſum collectus, parvus ſæpe deſtitutus ovario, ut modo mas ſit, aliquando ovarii ſpecie & tuba inſtructus; ovarium intra florem fit fructus ſubrotundus trilocularis, fœtus ſeminibus ſubrotundis. Sæpe autem ovarium ſolitarium globoſum, pelliculo obvolutum, ſpecie bulbi hæret ad unum pedunculum floris maſculi fætor eſt olidus in omni parte plantæ. Hæc planta nil fere differt à Porro vel Cepa, niſi ſolo bulbo, quod ex diverſis pulviſculis compoſitus, dein quoque inter Moly & Allium nulla fere eſt differentia niſi quod Allium fæteat, ſed Moly non, imo ſæpe ſuaveolat, hinc hanc diſtinctionem retenui, licet *Tournefortius* has plantas junxerit. Radix hujus plantæ eſt tunicata bulboſa, ex multis nucleis conſtans; hæc planta magnâ copiâ creſcit in Gallia & Hiſpania.

Vires ejus ut in Cepis, niſi quod magis olidæ ſint, hujus herbæ vis eſt maxima imprimis in ſecunda.

Moly.

Moly.

Character. Omnia ut in Allio, ſed odor ſuavis aut non graveolens.

Nomen. Moly vocatur à μωλύω, *doleo*, quia hæc planta ab *Homero* dicitur valere ad venena expellenda; hinc *Rapinus* canit.

Carminibus Moly Arcadicum flos dictus Homero.

Lilio-Narciſſus.

Character. Folia longa, lata, polita, coloris virideſcentis, repentia; caulis rotundus, tenuis, viridis; flos Lileaceus, hexapetalus, Lilio-Aſphodeli æmulus, ex thecâ emergens membranaceâ, ut in Narciſſo; fructus ſubnaſcitur flori formâ Narciſſi, oblongus, vel ſubrotundus, trigonus, trifariam dehiſcens, fætus ſeminibus ſubrotundis; radix bulboſa, tunicata, rotunda, externè nigricans, interné alba. Hæc planta creſcit in regionibus calidis in montibus & pratis.

Nomen. Lilio-Narciſſus vocatur quia has duas plantas refert; *autumnalis* dicitur, quia in autumno tantum floret.

Narciſſo-Leucojum.

Character. Folia ex radice erumpentia, Porrum referentia, valde viridia polita, ſplendentia; caulis anguloſus, erectus, excavatus, ſtriatus, finis caulis dat nodum, inde vagina membranacea, longa, cava, tegens tenellos floſ-

floſculos: ex apice nodi oriuntur, pedunculi, quorum extremum gerit ovarium, ejus apici naſcitur flos ex petalis ſex vel æqualibus vel tribus æqualibus majoribus & totidem minoribus ſex ſtaminibus præditus, campanæ pendentis inſtar ex thecâ membranaceâ; ovarium fit fructus ſubrotundus, trilocularis, fœtus ſeminibus rotundis; radix bulboſa, tunicata, ſaporis viſcoſi ſine acrimonia.

Nomen. *Narciſſo-Leucojum* vocatur, quia has duas plantas refert; Gallis dicitur *Perce-nege*, quia nivem ſuperat, nam ſupra nivem eminens hyeme floret.

Bermudiana.

Character. Folia graminea; flos hexapetalus, ſtellatus, ovario inſidens; Ovarium floris fit fructus trigonus, trilocularis, trifariam dehiſcens, fœtus ſeminibus ſubrotundis; radix perennis, fibroſa vel bulboſa.

Hæmanthus.

Character. Folia bina, hinc, inde, ex bulbo orta, & reclinata; caulis unus, fungoſus, craſſus, maculatus, in faſtigio florifer unius floris, ut putatur; Flos nudus, hexapetales vel heptapetalus, apparet; ſed videtur accuratius examinanti, flos floſculoſus, habens calicem hexaphyllum, inſtar Tulipæ factum, valde coloratum, rubrum, intra quem flores monopetali, hexapetaloïdes, ſex longis, gracilibus, profundè inciſis, ſegmentis conſtantes, parte infimâ tubuloſi, ſex ſtaminibus præditi, innati ovario, trigono, tricapſulari, in cujus

cujus loculis ſemina oblonga; talia ovaria & flores, ad triginta uſque uno illo calice continentur; bulbus ſquamoſus, ſæpe quaſi bifoliatim confectus.

Cyclamen.

Character. Folia ſubrotunda, ampla, ſingularia in uno pedunculo qui ex apice tuberoſæ radicis oritur; Pedunculi floriferi, ſimili ortu ex ipſo tuberis corpore enati, finis abit in tuberculum, cui adnaſcuntur ſegmenta quinque, folioſa, magna, profundè ſecta, calicem formantia; flos parte inferiori tubuloſus, monopetalus, ſupra diviſus in quinque amplas, longas, ad ima uſque ſectas partes, quæ retroflexæ circa pedunculum ſe colligunt, donatur quinque ſtaminibus gerentibus teſticulos tubæ arctè appoſitos; ovarium in fundo calicis, ſphæricum, inſtructum tubâ longâ, inſtructâ apice tenui, membranaceum, habens in medio placentam ſuſtinentem multa ſemina, rotunda, diviſum in aliquot partes, per maturitatem dehiſcentes; radix tuberoſa, craſſa, orbiculata, carnoſa, externè nigra, internè albicans, imâ parte fibrillas dimittens, ſaporis acris pungitivi exurentis, ingrati, odoris nullius. Hæc planta creſcit in ſylvis.

Nomen. *Cyclamen* vocatur à *græca voce* κυκλάμενος, à κυκλος, *circulus*, quia hujus plantæ radix eſt orbicularis; dicitur etiam *Panis porcinus*, quia ejus radix eſt rotunda ut panis, & a ſuibus comeditur.

Vires. Recens radix eſt valde acris, ſed exſiccata, nulla acredo percipitur, purgat cum inflammatione ventriculi, faucium & ani; homini-

minibus flatus, tormina & vomitus producit; hinc in his est vis venenata; ob sui penetrantiam succus abdomini hydropicorum applicatus aquas educit, inde unguentum de Arthanita ingreditur.

Orchis.

Character. Folia ex radice erumpentia, simplicia, Liliaceis similia; caulis rotundus; finis pedunculi exit in ovarium oblongum; triloculare, trivalve tribus fenestris pervium, continens pulverulenta seminula; flos insidens apici ovarii, mirabilis fabricæ, hexapetalos vix describendus; radix rotunda, carnosa, tuburosa in triorchin, didymos, monorchin, vel carnosam palmatam formam formata, succulenta, albida, paululum compressa, viscosa, subdulces, odoris seminalis. Hæc planta crescit locis humidis. *Rapinus* de hac planta canit.

Gaudent & foliis bicoloribus Ochides ambæ,
Culturæ indociles. Nec jam reor absore quin mox
Aspicias Hortum candenti albescere silva,
Nam nisi sera æstas cunctabitur, ordine longo
Læta supervirides tollent se Lilia virgas.

Nomen. Orchis vocatur ab ὄρχις id est *testiculus* quod ab ὀρέγω *appeto*, quia hujus plantæ radix testiculum animalis refert, vel quia vim Aphrodisiacam vel veneream stimulat, dicitur etiam *Cynosorchis* à κυνὸς *canis* & ὄρχις *testiculus*, quasi *testiculus canis*, *Morio* à μόριον id est *partes genitales.*

Vires.

Vires. Hæc planta excitat orgaſmum venereum & titillationem in partibus genitalibus.

Helleborine.

Character. Caulis rotundus ſine ramis, pulviſculum farinaceum habens; folia nervoſa, Veratri foliis affinia, ſinc caulibus, ſaporis amari; finis pedunculi gerit florem hexapetalum, ſex petalis diſſimilibus conſtructum, quorum quinque explicata ſatis ſimilia, ſextum diſpar, quaſi interpoſitum, flores digeruntur in ſpicam, & eos ſuſtinet; ovarium ut in Orchi. Radix fibroſa; hæc planta creſcit in montibus.

Nomen. Helleborine vocatur, quia folia ejus Veratrum referunt.

Ophris.

Character. Caulis rotundus; folia nervoſa, Plantaginea, conjugata; flos Orchidis ſuſtentatus & innatus ovario Orchidis; radix fibroſa, ſe in latum extendens, griſea; hæc planta creſcit in locis humidis, ejus ſapor eſt viſcoſus.

Monocotyledones Apetalæ.

His omnibus ſemina embryonem recondunt intra unum utriculum ſimplicem, qui terræ commiſſus perit, nec in cotyledonas ſub terrâ, vel ſupra eam explicatur; ſed radiculas deorſum foliola ſibi propria ſurſum, emittit embryo. Flores plerumque hermaphroditi, apetali, vel certè apetaloïdes. Caulis in his, vel

vel fungoſâ farcitur medullâ, quibus Junci nomen datur; vel internâ parte cavus habetur, quibus ideo *Culmiferarum* donatur titulus, vel *Calamiferarum*, imprimis ob teretis caulis cavitatem; vel ſunt denique caule magis farcto & triquetro, quibus *Cyperi* vel *Cyperoïdis* tribuunt appellationem.

Triticum.

Character. Caulis rectus, per intervalla nodoſus, excavatus; folia graminea; flores hermaphroditi, apetali, conſtantes ſtaminibus maſculinis, ſimplicibus, ferentibus ſuos teſticulos tenues, gracileſque, intra hos poſitum ovarium binis, ſcirrhoſis, recurvis tubis inſtructum; utraque hæc defenduntur binis foliis petaloïdibus, ſæpe ariſtatis, per appendicem longam, acutam, gracilem, jam piloſam, alias glabram, cinguntur rurſum duobus foliolis cavis, carinatis, calicis vicem præſtantibus; ſuſtentantur hæc uno pedunculo, qui cum aliis accretus uni axi facit ſpicam denſam; ſemina magna, oblonga gibba una parte ſulcata externe flaveſcens, internè alba; radix minima, filamentoſa.

Nomen. *Triticum* vocatur à *triturare*, quia ſemina trituratione a ſpicis ſuis ſeparantur.

Vires. Furfures hujus ſeminis aceſentes & acres facti ventriculum & inteſtina ſtimulant, hinc clyſma ex his eſt detergens; furfures in aqua decocti & ſaccharo edulcorati proſunt in tuſſi inveterata; ex farina ſeminis fit panis, quem vulgò comedimus, mica panis cum lacte in formam cataplaſmatis decocta conducit in doloribus mitigandis & ſuppuratione promovenda.

Mar-

Martialis canit.

Nec poteris similæ dotes numerare, nec usus,
Pistori toties cum sit & apta coco.

Et alio loco de *frumento*

Tercentum Libyci modios de messe coloni
Sume, suburbanus, ne moriatur ager.

Secale.

Character. Omnia ut in Tritico, sed spicâ compressiore, aristatâ semper, grano strigosiore, nudiore.

Nomen. Secale vocatur à *secare*, quia seminibus maturis hæc planta secatur.

Vires. Ex seminibus fit farina cum propriis furfuribus, unde panis conficitur, qui est optimus in cataplasmatibus ad emolliendum & resolvendum; ejus crusta tosta dentes depurat; horum seminum farina tumores resolvit & maturat, ejus panis minus est nutriens & non ita cito digeritur ac panis Tritici, est valde laxans & conducit iis, qui adstrictione alvi laborant; furfures sunt detergentes & emollientes, conducunt in diarrhæa & tussi inveterata.

Lolium.

Character. Caulis Tritici, quatuor vel quinque nodos habens; folia longa, angusta, viridia, striata, caulem a base ambientia; spica compressa, strigosa, mutica facta ex agminulis granorum & glumarum alternatim scapo

medio adnatis, foliolo carinato defenſis, & in eodem plano jacentibus; ſemen fere nudum, binis foliolis glumaceis leviter tectum; rubicundum, farinaceum; radix fibroſa. Hæc planta creſcit inter Triticum & Hordeum.

Nomen. Lolium vocatur quaſi δόλιον, *adulterinum*, quia hæc planta dicitur naſci ex hordeo vel tritico corrupto. Unde *Virgilius* canit.

Infœlix Lolium, & ſteriles dominantur avenæ.

Vires. Panis & Cereviſia hujus plantæ inebriant, cephalalgiam, vertiginem & ſomnum producunt; Lolium oculis nocet propter vapores acres, quos in cerebrum attollit. Hinc *Ovidius* canit.

Et careant loliis oculos vitiantibus agri.

Externè detergit, attenuat & reſolvit, putredini reſiſtit & conducit in ſcabie.

Panicum.

Character. Hæc planta Milium refert; ſpica ex innumeris craſſis rotundis albis aut flaveſcentibus ſeminibus in ſpicas minores digeſtis conflatur, ut quidem ſpeciem racemi obtineant.

Nomen. Panicum vocatur à *pane*, quia aliquando inde panis conficitur.

Vires. Hæc planta eſt aperiens, & conducit in humorum acredine cum lacte ut oryza coquitur, & ſemen avibus pro nutrimento inſervit.

Pha-

Phalaris.

Character. Caulis nodoſus; Folia Tritici ſed minora; ſpica craſſa, confecta ex glumis ſemina oblonga, alba, ſplendentia condentibus ſquamatim congeſtis; glumæ binæ cavæ, carinatæ, ſemen medium utriculo involutum tenentes, faciunt ſquamulas apparentes. Hæc planta creſcit in Hiſpania & regionibus calidis.

Nomen. Phalaris vocatur à φαληρὸς *albus*, quia ſemina hujus plantæ ſunt alba.

Vires. Hujus plantæ ſemina ſunt valde aperientia, hinc conducunt in calculo renum & veſicæ.

Hordeum.

Character. Caulis ſecali minor; folia latiora, ſpica craſſior, calix, glumæ, ariſtæ, flos, ut in Tritico & Secali, ariſtæ verò aſperæ; ſemen tumidius, utrimque apice acutiore, glumæ tam arctè adhærenti unitum, ut non niſi triturando ſeparetur.

Nomen. A mutata aſpiratione in digemma Æolicum veteres dixerunt *Fordeum* à φορβὴ *nutrimentum* quia Hordeum nutrit; vocatur etiam *Polyſtichum* à πολὺ *multum* & ςάχυς, *ſpica*, quaſi *planta multas ſpicas habens.*

Vires ſunt exſpectorantes, emollientes, humectantes, & detergentes, hoc ſemen adeo blanda & temperata viſcoſitate conſtat, ut tam pro medicamento quam alimento habeatur, tanquam anodynum & quævis demulcens acria, & ex his affectus ortos, hinc in febribus ardentibus, in compeſcenda ſiti, aliiſque

morbis usurpatur, datur hordei emulsio, cremor, semina etiam mundata vel ustulata vel ad crepaturam cocta; præscribitur etiam ejus decoctum; externè quoque emollit, maturat & anodynum est.

Gramina Typhina.

Character. Spica cylindrica, densa subasper, vel aspera.

Oryza.

Character. Caulis Tritico crassior, per intervalla nodosus; folia longa, carnosa, Porrum referentia; de hujus flore certi quid haud reperi; semina oblonga, fere ovalia, alba; Hæc planta colitur in locis humidis.

Nomen. Oryza vocatur ab *ὀρύσσω fodio*, quia antequam semina terræ mandentur, terra est fodienda.

Vires. Semina conducunt Phtysicis & iis qui per hæmorrhagiam narium vel nimium fluxum menstruorum magnam sanguinis quantitatem perdiderunt.

Avena.

Character. Caulis exiguus, a fine pedunculi folia bina, cava formant calicem, intra hæc tertium folium concavum, instructum longâ hastulosâ pilosâ, & multis pilis, unâ cum alio minori opposito foliolo, speciem petalorum simulant, atque concavitate suâ stamina intercipiunt & ovarium in centro positum, tubâ bicorni fimbriatâ instructum; fasciculi deinde hi à pedunculis in spicam laxam disponuntur.

No-

Nomen. *Avena* vocatur ab *avere*, quia equi quando Avenam ſentiunt, illam comedere deſiderant. Ponitur interdum Avena pro calamo ſive culmo ſegetis, ex quo paſtores ſibi fiſtulas conficere ſolent: quo ſit, ut pro ſtylo ſive charactere bucolico accipiatur *Virgilius.*

Sylveſtrem tenui muſam meditari avena.

Vires. Semina ſunt detergentia, reſolventia & pectoralia; eorum farina ſacculo inditur, qui calefactus ventri imponitur ad dolores colicos & uterinos leniendos; farina cum butyro cocta conducit in capitis ſcabie exſiccanda; ingreditur cataplaſmata reſolventia & emollientia, clyſmata & decocta.

Monocotyledones, Apetalæ, Culmiferæ.

His culmus, vel calamus, cavus, geniculis diſtinctus & ibi draphragmate firmante munitus, enata ibi ad nodulos folia, quæ ſimplicia, recta arundinacea, alterna lato ortu culmi partem conſtituunt ita, ut horum curatâ ſeparatione totus fere reſolvatur calamus. Quæ ipſæ vel in *ſpicatas* abeunt, vel in *paniculas culmiferæ ſpicatæ.* His ſemina cum ſuis utriculis, glumis, & caliculis, uno petiolo ſuſtentata in unam longam, maſſam arctè ſatis congeruntur. Vel etiam multa talia, & ſuis tegumentis obvoluta, ſemina primò aggeruntur in minores acervulos, quorum dein acervalorum pedunculi parti lege uniti faciunt ſpicam. *Culmiferæ panniculatæ.* Quibus eſt in faſtigio culmi juba, ſive coma, ramoſa, quæ componitur ex glumis ſeu caliculis & ſeminibus, uni-

tis in unum corpusculum simplex, vel squamatum aristatum vel inerme.

Arundo.

Character. Caulis altus, nodosus & excavatus; folia longa, sat lata, rigida, aliquantulum aspera; flores exigui, molles, in initio coloris purpurei, postea cinerei; semina papposa; radices multæ, longæ, nodosæ, serpentes. Hæc planta crescit in paludibus.

Milium.

Character. Caulis mediocriter crassus; juba laxa, ramosa, sparsa; singuli flosculi constant primo foliolo concavo fungente vice calicis, cui folia duo fibrosa, adstant instar petalorum defendentia stamina & utriculum; semina fere rotunda, aut ovalia, flava aut alba, dura, splendentia, in cortice exiguo, tenero inclusa; radix fibrosa, albescens. Hæc planta crescit in locis arenosis & humidis.

Nomen. Milium vocatur à *mille* propter *multitudinem granorum.*

Vires sunt diureticæ & abstergentes, egregiè conducit semen in morbis pulmonum & renibus exulcerosis; semina in formam cataplasmatis cocta sunt anodyna & resolventia.

Juncus.

Character. Caulis sat crassus, rectus, acutus, teriusculus, medullâ fungosa plenus; capitula non sunt squamosa in paniculum congesta. Hæc planta crescit in paludibus circa mare

No-

Nomen. Juncus vocatur à *jungere*, quia hac planta herbæ inter ſe junguntur.

Gramina Cyperoïdea.

Character. Caulis trigonus; folia longa, ſat lata, excavata; ſpica multiplex; ſemina triangularia in capſula membranoſa incluſa; radix craſſa, nodoſa; Cyperum longum referens; hæc planta creſcit in locis aquaticis.

Nomen. Gramen Cyperoïdes, quia hæc planta Cyperum refert.

Cyperus.

Character. Folia Porri, ſed longiora, duriora, tenuiora & acutiora; caulis rectus, medullam albam habens, trigonus, in faſtigio gerit paniculam conſtantem vel ex multis ſpicis tumidioribus confertis, vel ex anguſtis ſquamoſis, compreſſis, vel ex locuſtis minoribus multis; radix longa, craſſa, nodoſa geniculata contorta repens, flexilis fibroſa externè coloris obſcuri, internè griſei, odoris fragrantis dulcis & grati, ad nardum accedentis, ſaporis ſuavis ſubacris & aromatici paululum exſiccantis.

Nomen. Cyperus vocatur à *græca voce* κύπειρος, à κύπαρος, *pixidula* aut *vaſculum puſillum*, quia radix hujus plantæ generis pixidulam refert.

Vires. Hæc planta ventriculum à relaxatis fibris debilitatum mirè confortat, & eandem ob cauſam ingreditur gargariſmata ad mobiles dentas firmandos, menſtrua provocant, urinam movet, flatus diſcutit; Cyperus longus præſtantior eſt rotundo, congruit cum Galanga,

ſed non tam acris eſt , & plus habet adſtringentiæ.

Mays.

Character. Caulis rotundus, arundinaceus, pollicem craſſus, ſolidus, durus, nodis articulatus, in parte inferiori purpureus, medullâ albâ inſtructus, quæ, dum planta eſt in vigore, habet ſaporem ſaccharinum; folia longa, ſatis lata, venoſa, in margine aliquantulum aſpera; flores mares conſtant binis foliis longis, cavis, carinatis, fibroſis, marginibus piloſis, intra hæc duo alia magis tenera, cava, carinata, petalorum ſede & munere fungentia, in medio horum cotyla, ex quâ tria ſtamina loco plantæ; alio verò loco ovaria rotunda in caliculo brevi, proprio nato, tubâ longiſſimâ donata, in denſam ſpicam compacta, hærent, quæ ſpica foliis vaginalibus arctè obvoluta, ex apice horum tubæ eminent ovariorum; ſemina Piſum craſſa, fere obrotunda, plerumque anguloſa, farinoſa, coloris albi aut flavi, aut purpurei aut rubicundi, ſaporis dulcis & grati; radix fibroſa, dura, alba. Hæc planta in hortis colitur.

Vires. Hæc planta nutrit ut Triticum, ſed paulo gravius & difficilius in fermentationem ſuſcitatur, ſolent ideo ruſtici in gallia prius torrere, & tum perit viſciditas; eſt planta valde aperiens, hinc conducit in colica nephritica.

Lachryma Jobi.

Character. Caules craſſi, nodoſi; folia longa, ſatis lata; flos apetalus, calice donatus, mas

mas eſt in formam ſpicæ congeſtus uno plantæ loco; ovarium alio loco plantæ, tubâ longâ, bicorni, abit in teſtam lapideam fætam uno ſemine, fere obrotundo, duro, polito, in initio flaveſcente, ſed poſt maturitatem rubicundo; radix fibroſa. Hæc planta colitur in hortis præſertim in regionibus calidis ut in Candia & Syria.

Nomen. Lachryma Jobi vocatur, quia ejus ſemen lachrymam refert.

Vires. Ejus ſemen eſt detergens aperiens, hinc conducit in calculo renum & veſicæ.

Typha.

Character. Caulis plerumque unicus, rectus, politus; folia longa, anguſta, craſſa, ſpongioſa, ſubdulcia, altera ex radice, altera ex nodis caulium erumpentia; flos mas, ſolis ſtaminibus nudis, pulverulentiſſimis conſtans, qui in gracilem denſé compacti congeruntur ſpicam; ovaria in ſpicam denſiſſimam compoſita hærent ſub ſpica priori, ſunt tenuia, multiſque inſtructa filamentis; utræque ſpicæ in formam clavæ per eandem continuatam longitudinem porriguntur; radix repens, externè rubicunda, internè albiſſima, ſaporis inſulſi. Hæc planta creſcit in paludibus.

Acorus.

Character. Folia longa, anguſta; flos mas, ſtamineus, nudus; ovaria inter flores mares poſita, ſunt cincta foliolis exiguis pro calice, fiunt ſemina tetrahedra; flores mares, & ovaria congeruntur in ſpicam compactiſſimam, cor-

nu quaſi referentem; radix oblonga, paululum compreſſa, in ſuperficie quaſi geniculata, externè ex flavo rubeſcens, internè alba, fungoſa, ſaporis acris ſuaviter amaricantis & aromatici, odoris fragrantis.

Vires ſunt cordiales & ſtomachales, hæc radix conducit in acida ventriculi cruditate, in abdominis torminibus inde ortis, obſtructione menſium è ventriculi vitio, in hydrope & ſcorbuto pro confortante, in aſthmate ſputa provocat; ſi hæc radix cum aqua deſtilletur, tum guſtata præbet aquam ingratiſſimam, ſi oleum nauſeoſum ſemper ingratiſſimum, contra fixum radicis in fundo remanens optimè ſapit. Acorus in ſubſtantia rarius exhibetur, conditus verò frequentius, hæc radix ingreditur multas compoſitiones.

Sparganium.

Character. Caulis rotundus, tortuoſus, politus, medullam albam habens, in multos ramos diviſus; folia longa, anguſta, acuta, aſpera, ſcindentia, ſaporis ſubdulcis; flores mares polypetali, herbacei, numeroſiſſimis ſtaminibus fæcundi, arctiſſimè congeruntur ad caulem in formam globi; ovaria naſcuntur in eodem caule, ſed infra priores flores maſculos, ſuntque tubæ incurvæ, parvæ, ſiliculoſæ, quæ maturæ fiunt capſulæ oſſeæ, uniloculares, vel biloculares, fæto nucleo farinaceo colliguntur, & hæc ovaria in globos inſtar nodorum; radix fibroſa, nigra, repens. Hæc planta creſcit in locis humidis.

Nomen. Sparganium vocatur à græca voce σπάργανον, *faſciola*, quia ejus folia *faſciolam* refe-

referunt; *Platanaria* dicitur, quia ejus fructus Platanum refert.

Arbores & Fructices, quæ in prægressa stirpium serie non apparent.

Monocotyledones.

Palma.

Character. Truncus magnus, rotundus, rectus, altus, habens corticem crassum, scabrum cinereo colore; folia ad apicem crescunt longa, acuta, rigida, in orbem posita, aliquando adeo propinqua, ut lumen impediant, squamæ vestigia sunt folia abscissa; rami minimum digitum crassi, triangulares, striati, fungosi in arcum tensi; flores in membrana involuti sunt, quæ rupta flores albi & in racemos dispositi apparent; fructus cortice membranoso tegitur, filamenta durissima arctè contexta, sub quibus testa duritiei lapideæ, in qua hæret caro pinguis intus cava, & tum aqua lactea plena vel non cava. Hæc arbor crescit in Indiis Orientalibus; & urbs ubi præsertim crescit Palmites dicta est. Hæ plantæ sunt mares & fæminæ, si juxta se plantentur, tum vegetant, dicit *Tournefortius in Itinerario*, quod dactyli verberent, licet tempestas sit quieta & ventus non flat, præsertim illæ quæ flores hermaphroditicos gerunt.

Nomen. Palma vocatur à παλάμη *manus*, quia folia hujus arboris palmam manus referunt; ejus vocatur *Dactylus*, à græca voce δάκτυλος *digitus*, quia fructus ejus digitum refert.

Vires. Inde in Medicina fit electuarium diaphoreticum, *Xenophon* narrat verticem hujus arboris abſciſſum exſtillare liquidum, quod totum exercitum alere poſſet; ex ſeptima fit vinum panis, uti & quadrupedibus cibus, ex putamine nucis fiunt utenſilia, nucleus dat oleum analogum oleo amygdalarum contra omne acre optimum & egregium in Phtyſi, quia demulcet, intus aqua hæret quæ fermentata vinum dat palmites demulcens; ſextæ Cortex læſus vel per æſtum ſolis fiſſus fundit reſinam, quæ Veteribus habita fuit pro ſanguine draconis cum aquila pugnantis & ſauciati. Fructus illius arboris conducit in diarrhæa & in tuſſi violenta. Non cedit ponderi, ſed ſurgit adverſum pondus; ideo victoribus traditur præmio, quod non ceſſerint, ſed pertinaces in bello perſtiterint, hinc etiam ponitur pro victoriæ ſigno aut pro ipſa victoria; caro hujus fructus eſt oleoſa & inde oleum educitur, quod dicitur belgicè *Klapoli.*

Papaya.

Character. Caudex ſimplex, excavatus, ſpongioſus, adeo tener, ut uno gladii ictu abſcindi poſſit, ſolos emittens pedunculos foliorum lanciniatorum inſtar Ricini; cortex politus coloris cinerei; flos mas, nudus. tubulatus, multifidus, ſegmentis quinque longis, anguſtis, in ſtellam expanſis conſtans, ſtaminibus multis fæcundus, naſcitur in una Planta mare; in alia planta fæmina finis pedunculi abit in parvum dentatum, caliculum, cui innaſcitur floris imago (an pericarpium?) Pentapetali, ſtaminibus orbi; in fundo hujus floris, vel Pe-

ricarpii

ricarpii ovarium, tubâ apertâ, quinquifidâ, ſegmentis in fimbrias foliaceas evolutis, donatum, qui fit fructus inſtar Melonis ſtriati, carneus, cortice craſſo, ante maturitatem coloris viridis, ſuccum lacteum fundens, ſed fructus maturus eſt flavus, ſaporis valde grati, ejus pulpa eſt undique referta ſeminibus involucro tectis, ſtriatis, coloris rubicundi. Hæc arbor creſcit in America.

Muſa.

Character. Caudex arundinaceus, ſpongioſus, abſque ramis, in folia ingentia explicatus, quæ primò, ut in Cannacoro, convoluta, dein explicata in orbem faſtigio caudicis apponuntur; flores & fructus, in racemo poſiti, vaginâ includuntur, ut in palma; flos polypetalus, anomalus, apici ovarii innatus, Ovarium cucumerinum, molle, triloculare, edule, ſeminibus fœtum, tubâ longa apice globoſo inſtructum; radix longa, craſſa, rotunda, ſtolones emittens, pereunte caudice frugifero, externè lignoſa nigra, internè carnoſa & alba, ſaporis aquoſi, ſubdulcis, & aliquantulum adſtringentis; cortex hujus arboris inciſus fundit ſuccum aliquantulum unctoſum & album, ſed poſtea rubicundum. Hæc arbor creſcit in Indiis Orientalibus & Occidentalibus. Decima eſt Muſa Orientalis fructu eduli foliis maximis ſeu ficus, ejus folia tam magna ſunt, ut totus homo inde tegi poſſit, & dicuntur Adamus & Eva hac ficu ob verecundiam ſe texiſſe, quod magis probabile videtur, quam cum foliis ficus vulgaris, ut pictores pingunt, hujus arboris caulis vel truncus to-

tus ex foliis conſtat ſibi impoſitus fere ut Dactyli.

Fraxinus.

Character. Cortex hujus arboris politus, cinereus virideſcens; lignum durum, politum, album; folia longa, bina, pinnatim natæ ad communem coſtam, cujus apex deſinit in folium impar, ſaporis amari & acris; flos mas apetalus, ſtaminibus conſtans apice gemino ornatus in mare; ovarium oblongum, ovatum, compreſſum, inſtructum tubâ bifida, in fæminâ, per maturitatem fit fructus planus, membranaceus, lingua ſimilis, fætus ſemine medulloſo ſimilis figuræ, ſaporis acris & amari. Hæc arbor creſcit in locis humidis circa flumina & in ſylvis, unde *Virgilius* canit.

Fraxinus in ſylvis pulcherrima.

Nomen. Fraxinus vocatur à *frago* vel *flecto* vel à frangoſis locis quia hæc arbor creſcit in locis incultis, vel φϱᾶξις, *ſepimentum*, quia inde ſepimenta conficiuntur; ejus fructus dicitur *Ornithogloſſa* ab ὀϱνίς *avis* & γλῶσσα *lingua* quaſi *lingua avis.*

Vires. Ejus cortex eſt adſtringens, & amarus ſi duplo majori copia ſumatur, tum eundem effectum præſtat ac Cortex peruvianus, ſed tamen eventus non eſt adeo certus in chloroſi cum aqua decoctus valde convenit, nonnulli hunc corticem inſtar ligni Guajaci adhibent.

Empe-

Empetrum.

Character. Caules ramoſi, flexiles, lignoſi repentes, corticem fuſcum rubicundum habentes; folia Ericæ & habitus; flos, mas, apetalus, ſtaminibus conſtans; fructus alio loco plantæ natus baccæ ſimilis eſt, fœtus ſeminibus oſſeis & cartilagineis; radix lignoſa, dura. Hæc planta creſcit in montibus & locis ſaxoſis.

Nomen. *Empetrum* vocatur ab ἐν & πέτρος *ſaxum*, quia hæc arbor creſcit in locis ſaxoſis.

Terebinthus.

Character. Cortex griſeus cinereus; folia oblonga, ſemper viridia, pinnata, pluribus pinnis ad mediam coſtam annexis cum impari folio, ſeu loco coſtam terminante; flos apetalus, conſtans ſtaminibus apiculatis in mare; fructus eſt teſta unicapſularis, vel bicapſularis, ſat durus, viſcoſus, aut reſinoſus, coloris cærulei virideſcentis, fætus ſemine oblongo, in fæminâ; hæc arbor creſcit in regionibus calidis, ut in Hiſpania Gallia & Inſula Chio.

Nomen. *Terebinthus* vocatur ab ἐρέβινθος, *Cicer*, quia hujus arboris fructus ciceris figuram refert.

Vires. Ejus cortex & folia valde adſtringunt, & conducunt in diarrhæa, urinam movent & ſemen provocant; ex hac arbore diſtillat laudatiſſimum reſinæ genus, quæ Therebinthina vocatur; hæc eſt ſubſtantia reſinoſa, tranſparens, mollecula, reſina laricea craſſior, coloris flaveſcentis ad cæruleum vergentis, ſaporis acris

acris amaricantis, resinosi, odoris fragrantis, & gravis, hæc ex Cypria adfertur; vulgaris colligitur in Germania, Norwegia ex truncis Pini & Abietis junioribus sauciatis, quæ aqua sæpius lavata depuratur; ex Cypro vel Chio rarò est in usu, loco hujus usurpatur Terebinthina Veneta dicta, quæ est collecta ex arbore Laricis, consistentia mollis novi, coloris flavescentis, saporis acris & amaricantis. Conducit hæc resinosa substantia in colica nephritica, tussi, asthmate, ulceribus vesicæ & renum, stranguria, gonorrhæa fluxu albo, & sanandis vulneribus tam internis quam externis, in majori dose assumpta sæpe alvum movet; externè conducit nervorum vitiis & tumoribus discutiendis, additur quoque clysteribus tam vulnerariis quam anticolicis & antinephriticis, vesicæ utero & intestinis injiciendis, plerumque Emplastra ingreditur.

Rhamnoïdes.

Character. Habitus Rhamni spinosus; flos mas, apetalus constans paucis staminibus ortis ex calice bifolio in mare Plantæ; fructus est bacca monospermos, semine subrotundo, in fæmina Plantâ.

Arbores & frutices flore Amentaceo.

His flos apetalos vel petalodes, numerosus nectitur axi communi longo referenti mollem fellis caudam, semperque est alio loco, quam ubi fructus plantæ deprehenditur.

Nux juglans.

Character. Folia magna, lata, nervoſa, viridia, pinnatim adnata Rachi communi terminatæ in folium impar, odoris penetrantis, ſaporis adſtringentis; flos mas, unuſquiſque eſt amentaceus, foliolis ſex, craſſis, viridibus, uni petiolo accretis, in formam calicis, ex fundo horum largo numeroſa ſtamina in racemum quaſi congeruntur; dein multi tales racemi, uni longo axi accreti caudam floriferam formant in una parte plantæ; ovarium ſubrotundum tubâ bifidâ, ſegmentis retro incurvatis, ſatis, ſcabris, fimbriatis, fit fructus qui cortice carnoſo tegit oſſeum, bivalve, putamen, in quo nucleus carnoſus, pinguis, quadripartitus ſepimento coriaceo in alia parte plantæ; ejus lignum eſt durum, robuſtum compactum, corticem cinereum habens; radix magna, longa, ſe in latum extendens.

Nomen. Nux vocatur à *nocere*, *juglans* quaſi *Jovis glans*, unde *Ovidius* canit.

—— *Quoniam ſata lædere dicor*
Cultus in extremo margine fundus habet.

Sive quod linguæ noceat, vel quod ut nox aërem, ita ut ſucco ſuo corpus atrum faciat; conſtat nucis nucleum eſſe difficilem contactu, dolorem capitis inferentem, tuſſientibus inimicum, & non multas plantas circa nucem creſcere; eſt autem nux generale omnibus, quæ duro operimento teguntur, ut ſunt caſtaneæ, amygdalæ & hujusmodi, unde *Virgilius* canit.

Caſta-

Castaneæque nuces mea quas Amaryllis amabat.

Vires Ex radice primo vere vulnerata aqua destillat, quæ ad Epilepsiam commendatur; cortex hujus arboris & nucis astringit; fructus est sudoriferus, stomachicus, cordialis & antihistericus, hinc conducit ejus aqua destillata in variolis, morbillis passionibus hystericis & colica flatulenta; hæc planta adhibetur cum Zarzaparilla & ligno Gaujaco; oleum nucis conducit in colica si in Clymate adhibeatur; ejus folia conveniunt in combustione; succus ex radice expressus prodest podagricis si externè loco dolenti applicetur; secundus cortex arboris nucis vomitum sedat.

Corylus.

Character. Rami longi flexiles, sine nodis, corticem tenerum habentes; ejus lignum est tenerum album; folia subrotunda, sparsa, in margine dentata, acuta, in parte superiori viridia, in inferiori albescentia; flos mas constat tribus squamosis foliolis, quorum exterius binis interioribus incumbit, ex infimo flore quatuor pedunculi emergunt, singuli habentes testiculum suum. Omnes flores simul adnati axi longo referunt caudam cati; flos fæmina in eadem planta, loco diverso a mare nascitur, constans calice squamoso, foliolis multis se invicem succingentibus facto, intra quem ovarium latet instructum multis tubis incurvis, rubris, acutis; fit dein fructus osseus putamine nucleum condens carnosum, hærens arctè innatus calici foliaceo; radix longa, crassa, robusta, Hæc arbor crescit in sylvis.

No-

Nomen. *Corylus* vocatur à *καρύα* *nux*, quasi *parva nux*; *Avellana* dicitur quasi *abellina ab urbe Campaniæ abella dicta*, ubi magna in copia crescebat.

Vires. Ex primæ & secundæ fructu seu nucleis fiunt emulsiones ut ex amygdalis dulcibus, & hoc emulsum prodest sanguinem spuentibus; nuclei verò si edantur sunt admodum duri difficileque digestibiles; vimina dicuntur mirificam vim habere & usurpari pro virgine metallica ad gazas detegendas; hæc arbor quoque inter magicas refertur, & dicitur inde febres intermittentes arte quadam magica curari posse, si numerus paroxysmorum in cortice notetur.

Carpinus.

Character. Cortex hujus arboris est scaber & asper, coloris albescentis; lignum durum, albescens; folia Fagi & facies; flos mas, amentaceus, petalodes, axi longo communi adnatus, staminibus multis sub foliolis natis, in uno loco plantæ hærens; ovarium ovatum apice piloso, membranaceo involucro tectum & tubis binis instructum, fit fructus in eadem planta loco à flore remoto, in spicis foliaceis reconditus osseus, umbilicatus, compressus, striatus, fætus nucleo è rotundo acuminato. *Rapinus* de hac arbore canit.

In tractus longos facilis tibi Carpinus ibit
Mille per errores, indeprensosque recessus;
Et Molles tendens, secto ceu pariete ramos.
Præbebit viridem diverso è margine scenam:
Primus honos illi quondam, post additus ordo est.

Atton-

Attonſæque comæ, & formis quæſita voluptas
Innumeris, furtoque viæ, obliquoque receſſu,
In tractus acta eſt longos & opaca vireta.
Quin etiam egregiæ tendens umbracula frondis
Temperat ardentes ramis frondentibus æſtus.

Nomen *Carpinus* vocatur *quoad facile carpatur* quia ejus lignum facile finditur.

Quercus.

Character. Cortex hujus arboris eſt craſſus, aſper, rubicundus; folia magna, oblonga, lata, ſinuoſa quaſi laciniata; flos mas amentaceus, conſtans apiculis maſculinis, tenui; capillamento longo, per denſa agmina affixis, fructus loco à flore in eadem planta remoto, tribus tubis inſtructus, natus in calice foliolis anguloſis conſtante tandam ſquamoſo, fit glans calice inferius excepta, ſub putamine coriaceo integro, tegens nucleum bifariam fiſſilem. Hæc arbor creſcit in ſylvis, *Rapinus* multa de hac arbore Canit; *Ovidius.*

Sæpe Jovis telo quercus aduſta viret.

Virgilius.

ſicubi magna Jovis antiquo robore quercus
Ingentes tendat ramos. ——— ———

Hæ arbores ſunt mares & fæmina, ſi enim in quadam ſylva non niſi mares ſunt, tum non habent glandes, ſi tantum fœminæ, tum habent quidem glandes ſed ſteriles.

Nomen. Quercus vocatur à κέρχω, *exaſpero,* quia

quia ejus cortex eſt aſper; *Platyhyllos* dicitur à πλατὺς *latus* & φύλλον *folium*.

Vires Veteres dixerunt de hac arbore primos homines vixiſſe. Folia ejus laudantur in procidentia ani & uteri; cortices ſunt aſtringentes, conveniunt in alvi & hæmorrhidum fluxu, teneſmo, dolore iſchiatico, rheumatiſmo, item in zoda, optimè conducunt in illis morbis ubi cortices granatorum præſcribuntur; cortices glandis pulverizati conveniunt in colica.

Ilex.

Character. Hujus arboris cortex eſt fuſcus; lignum durum & compactum; folia oblonga, potius dentata, quam ſinuata, in ſuperiori parte ſemper viridia, in inferiori albeſcentia & lanuginoſa, ſaporis adſtringentis; flos amentaceus, conſtans multis ſtaminibus ortis ex calice infundibuliformi; fructus Quercus. Hæc arbor creſcit in ſylvis præſertim in regionibus calidis, *Virgilius* de hac arbore canit.

Talis erat ſpecies auri frondentis opaca Ilice.
Sic crepitabat bractea vento —— ——

Ovidius.

Lucus Aventino ſuberat niger ilicis umbra.

Grana ibi adſunt excrementitia rotunda, Piſi magnitudine, rubicunda ejusdem foliis adnata, dum recentia plena vermiculis & ſucco ſanguineo, fatiſcente in annoſis in ſubſtantiam raram fungoſam concolorem ſaporis ſubacris

acris subamaricantis, odoris non ingrati, sunt igitur hæc grana, ut gallæ Quercuum excrementa in trunco & ramis ejus majoribus excrescentia, si adspergantur aceto, tum intereunt vermiculi; hæc verò grana ilico una cum vermibus in syrupum coquuntur & ex montepessulano ad nos transferuntur.

Nomen Ilex dicitur à voce habraica *Elon*, quod significat Quercum, quia hæc arbor est species Quercus.

Vires sunt fere ut in Quercu, lignum adhibetur fere instar ligni Guajaci, hæc grana conveniunt in syncope, cordis palpitatione & lypothimia, melancholia, præcavendo abortu, & singultu; horum vis consistit in interiori pulpa seu in vermiculis inclusis; ejus syrupus nomen dedit confectioni alkermis.

Suber.

Character. Omnia ut in Ilice & Quercu, sed cortex crassus, fungosus, levis, coloris grisei subflavescentis. Hæc arbor crescit in regionibus calidis, ut in Hispania & Gallia.

Nomen. Suber à *suere*, quia ejus cortex sub calceis adhibetur ad calceos siccos reddendos; vel à *sue*, quia porcis nutrimento inserviunt.

Vires. Ejus fructus est adstringens, & conducit in colica flatulenta; ejus cortex est detergens & adstringens in hæmorrhagiis & diarrhæa & in cineres combustus conducit sed ad hæmorrhoïdes resolvendas & demulcendas.

Casta-

Caſtanea.

Character. Cortex hujus arboris eſt politus; lignum durum in igne crepitans; folia magna, ampla longa, nervoſa, aliquantulum aſpera, digitatim compoſita; flos mas, in hac arbore primò deprehenditur alio loco quam ovarium ſolitarius, ex calice pentaphyllo, valde ſtaminoſus, per capillamentum tenue axi communi longo affiixus, ut fiat amentaceus; alii flores hermaphroditi, conſtant calice & ſtaminibus atque ovariis apici multifido & tubis ſex diſtinctis, uno illo communi calice contentis; ovarium hoc deinde, ubi ſe expedivit, fit fructus echinatus alio à flore primo, loco in eadem arbore, ſubrotundus, quadrifariam dehiſceus, ut plurimum, fœtus caſtaneâ ſubcoriaceo putamine rubicundo nucleum continente. Hæc arbor creſcit in regionibus calidis.

Nomen. *Caſtanea* vocatur à *Caſtaneo* Magneſiæ urbe, unde olim magna copia creſcebat. *Virgilius* de Caſtanea canit.

Caſtaneæ Molles & preſſi copia lactis.

Vires. Ejus cortex eſt adſtringens & conducit in nimio menſium fluxu & metuendo abortu, ut in gonorrhæa & fluxu albo; ex pulvere horum corticum cum oleo quodam appropriato conficitur unguentum, quo in nimio menſtruorum fluxu pudenda illiniuntur.

Fagus.

Character. Cortex mediocriter crassus, politus, coloris grisei, cinerei; lignum durum, album; folia Carpini fere, sed nigra; flos mas amentaceus, glomeratus, constans staminibus è caliculo campaniformi surgentibus; fructus in eadem arbore, loco à flore remoto, callosus, acuminatus, quadrifido apice dehiscens, fœtus binis seminibus trigonis, duris, politis, rubicundis, internè habentibus medullam albam edulem, saporis dulcis cum aliqua adstrictione; hæc arbor crescit in pratis & locis montanis, & magnam umbram facit, unde Veteres Poëtæ semper de illa arbore cecinerunt & *Virgilius.*

Tityre, tu patulæ recubans sub tegmine Fagi.

Et alio loco.

Ad Veteres fagos cum tu Daphnis arcus fregisti.

Nomen. Fagus vocatur à *φαγω comedo*, quia nuces triquestræ edules & satis bonum nutrimentum præbent, dicitur græcè *Oxya* ab ὀξὺη ab ὀξὺς *acutus*, quia fructus ejus est acuminatus.

Vires. Fructus ejus & semina conducunt ad sabulum & mucum à renibus propellendum.

Abies.

Character. Cortex ejus politus, resinosus,

præ-

præſertim in regionibus calidis, albeſcens; folia longa, Juniperi latiora, & majora, ſparſim ſolitaria in ramis; flos mas, amentaceus, apiculis conſtans uno loco; fructus naſcitur alio loco inter foliola ſquamatim ſpicam formantia, eſtque ſemen foliatum.

Vires. Rami teneri conducunt in ſcorbuto, rheumatiſmo, & Podagra, urinam movet; ex hac arbore diſtillatur Therebinthina id eſt pix liquida craſſa.

Larix.

Character. Cortex hujus arboris eſt aſper & fuſcus; rami longi; flexiles, tenues, incurvati, folia Pinus tenuiora, plura ſimul ex uno communi tuberculo inſtar penicilli nata; flos mas amentaceus, pluribus apiculis conſtans in uno loco plantæ; fructus in eadem arbore, loco à flore remoto conicus, ſquamoſus, recondens ſub ſuis ſquamis ſemen foliatum. Hæc arbor creſcit in regionibus calidis circa montes.

Nomen. Larix vocatur à voce græca λαρος *ſuavis*, quia ejus folia odorem ſuavem ſpirant.

Vires. Ex magis ramis hujus arboris deſtillatur manna alba & ſicca, quæ vocatur manna laricea, quæ optime purgat; cortex ejus inciſus fundit reſinam liquidam; folia & fructus adſtringunt.

Alnus.

Character. Truncus hujus arboris habet corticem aſperum, fragilem, nigricantem; lignum tenerum, flexile, rubicundum, leve, facilè ſe in terra corrumpens ſed nunquam in a-

qua, unde pro fundamentis ædificiorum inservit, rami molles, teneres, externè corticis grisei, interni flavescentis, saporis amari, ingrati cum quadam adstrictione; folia subrotunda, dentata, viridia, splendentia, viscosa; flos mas amentaceus, staminibus quatuor ex calicis quadrifidi segmentis singulis enatis singulis constans, glomeratus, axi longo accretus, refert caudam cati ortam calice squamoso gemmam referente; ovarium alio loco plantæ, ex gumma, vel calice squamosa emergenti axi accrescit, cui juxta totam longitudinem accrescunt utriculi compressi, instructi binis tubis, longis, rubris cornutis, sub squamis reconditi, uno semine fœti, sicque fit fructus squamosus, semina rubicunda & compressa recondens sub squamis. Hæc arbor crescit in locis aquosis.

Nomen. Alnus vocatur ab *amne* quia in flumine alitur; laudatur à virtute adstringente.

Betula.

Character. Rami flexiles, exigui, incurvati; cortex exterior trunci est crassus, asper, albus, sed interior est tener, politus, Veteres hunc corticem papyri loco adhibebant; lignum album; folia mediocriter lata, acuta, in margine dentata, subrotunda, Fagis similia, viridia, tenera, polita, saporis amari; flos mas amentaceus, foliosus axi affixus capillaceo longo; fructus loco à flore remoto squamosus, cylindriaceus sub squamis suis recondens semina alata. Hæc arbor crescit in sylvis.

Nomen. Betula vocatur à *batuendo*, id est *cædendo*,

dendo ; ex hac arbore fafces conficiebant romani, qui magiftratibus folebant præferri.

Vires. Cortex hujus arboris verno tempore incifus fundit fuccum acidulum, qui contra lithyafin commendatur, *Helmontius* dicit, quod Dæmones pellat, quod videtur veritati congruere, nam carnifices inde virgulta legunt, & his maleficos puniunt & verberant, hacque ratione Dæmonem pellunt.

Conocarpodendron.

Character. Folia fparfa, integra; flofculi ftaminei, apetali, anomali, quam fimillimi præcedentis familiæ, fed orti ex fquamis fructus; calix in plerifque, vel pericarpion, eft corona foliacea, fructum fuccingens; fructus conftat fquamis multis, axi communi ita commiffis, ut forment conum, ut in Larici fere, ita ut ex imo commiffuræ axis cum fquamis, oriatur flos, ex medio cujus femen in thecâ oblongâ, exeunte in bina longa filamenta, ornatum filamento longo gerente plumulam in apice unam, pluresve.

Hypophyllocarpodendron.

Character. Folia & facies, ut Lepidocarpodendri & Conocarpodendri; calix in alis foliorum multifidus; flos vaginam referens herbaceus, piftillum floris, multis inftructum plumulis. fit femen oblongum iisdem plumulis ornatum.

Cedrus.

Character. Rami tortuosi & nodosi; lignum rubicundum, habens odorem Cypressi; folia angusta, acuta, squamosa, Cypressi æmula; flos amentaceus, constans foliolis multis donatis apicibus multis; fructus in eadem planta loco à flore remoto natus est bacca turgens officulis angulatis, fœtis semine oblongo. Hæc arbor crescit in regionibus calidis. Cedro æterna materies, cariem non sentiens, unde classibus & domorum tectis ædificandis imprimis est idonea; unde *Horatius* canit.

Speramus carmina fingi posse lineanda cedro.

Cedrus in Cypro maxima nasci traditur, centum triginta pedum longitudine, crassitudine autem ad quinum hominum complexum. Ex cedro oleum nascitur, quo libri, aliæve res perunctæ tineis & carie non læduntur, hanc *Ovidius* cantat.

Nec titulus minio, nec Cedro charta notetur.

Thymelæa.

Character. Folia integra, semper viridia, viscosa; flos monopetalus utcunque infundibuliformis, quadrifidus; ovarium in centro floris fit fructus ovatus, succi plenus vel siccus, fœtus semine oblongo, habente pelliculam nigram splendentem, fragilem, sub qua invenitur medulla alba saporis ardentis; radix longa, crassa, dura, lignosa, externè grisea aut

aut rubicunda internè alba, in initio dulcis sed postea acris & caustica; hæc planta crescit in locis incultis.

Nomen. Thymelæa vocatur ex θύμȣ ἐλαία *Thymi olea*, quia ejus folia sunt angusta ut Thymi & crassa ut Oleæ.

Vires. Veteres ejus folia adhibebant ad humores serosos evacuandos; hinc planta violentissimè purgat & cum saccharo corrigitur.

Alaternus.

Character. Folia alterna, sempervirentia, oblonga, satis magna; calix tubulosus, profundè quinquifidus instar stellæ expansus, ex parte interna calicis ex interstitiis segmentorum; flos monopetalus, infundibuliformis, quinquepartitus, quasi stellæ in modum expansis segmentis ovarium in fundo imi calicis, donatum tubâ erectâ trifidâ fit bacca mollis, succulenta, post maturitatem nigra, fœta ternis seminibus gibbis ab unâ, ab alterâ parte angulatis. Hæc planta crescit juxta vias & in hortis.

Nomen. Alaternus vocatur ab *Alterno*, quia folia ejus alterno ordine in caulibus sunt disposita.

Vires sunt detergentes, adstringentes & refrigerantes; præsertim in angina instar gargarismatis hæc planta adhibetur.

Alaternoides.

Character. Folia alterna sempervirentia; flos tetrapetaloïdes, vel pentapetaloïdes, perianthio bifolio succinctus; fructus trilocularis, tricoccos ut in Tithymalo.

Phillyrea.

Character. Folia oblonga, conjugata, ſempervirentia; flos monopetalus, campaniformis, quadripartitus, calice quadrifido contentus; ovarium in fundo calicis fit fructus ſemine rotundo.

Arbutus.

Character. Truncus habet corticem aſperum & ſtriatum, in ſuperiori parte rami ſunt rubicundi; folia oblonga, lata, ſubrotunda, polita, ſemper viridia, ſubrotunda, ſervata; flos monopetalus, campaniformis, globoſus, in urceolum formatus; piſtillum calicis fit fructus globoſus, carnoſus, edulis, ante maturitatem flavus, poſtea ruber, facie externâ Fragi, quinquelocularis, in ſingulis loculis ſemina plura placentæ accreta. Hæc arbor in Arabia in magnam altitudinem, creſcit qua de re *Virgilius* canit.

Et quæ vos rara viridis tegit arbutus umbra.

Fructus ejus *memæcylon* aut *unedo* vocatur, quaſi *unus edo* quia ſi homo inde plus quam unus comedât, laborat.

Vires. Folia & cortices ſunt adſtringentes, hinc conducunt in dyarrhæa.

Ar-

Arbores & Frutices; flore monopetalo, qui ovarium intrà florem habet, quod abit in fructum seminibus osseis fœtum.

Styrax.

Character. Folia oblonga, subrotunda, in superiori parte viridia, in inferiori alba, lanuginosa; calix dentatus ampullosus; flos monopetalus, parte inferiori tubulatâ, superiori multifidâ, instar stellæ exspansilibus laciniis; ovarium ex centro calicis dentati, multifidi fit fructus subrotundus, avellanæ magnitudine, carnosus uno vel altero officulo plerumque fœtus, in quo continetur nucleus medullosus, oleosus, odoris ut gummi styracis, saporis ingrati; hæc arbor crescit in Italia Syria & Creta.

Nomen Styrax vocatur à *stiria* quia guttatim ex arbore resinosa materia stillat instar lacrymæ; multa gummata hujus arboris adsunt, primum est styrax rubra vel juxta nonnullos *Thus Judæorum*, quia credunt illam resinam esse, quam magi salvatori obtulerunt; hæc massa est rubicunda aut flavescens, & incisione ex arbore extrahitur, alterum genus est *styrax calamita*, quia olim in calamis arundinaceis ad odorem suum conservandum transportabatur, hæc styrax externè est rubicundi, internè alba, odoris suavis aromatici, valde grati; tertium est *styrax liquida*, quæ est materia oleosa, viscosa, consistentia unguenti, coloris grisei, odoris aromatici; à nonnullis oleum ex nucleis exprimitur, quod vocatur styrax liquida.

Vires ſunt ut in Therebinthina paululum tamen majores fragrantes; ad excitandos ſpiritus conducit uti & contra tuſſim gravedinem, ſi inſtar ſuffumigiorum adhibetur; externè convenit ad emolliendos nervos & tendines & ſcirrhos reſolvendos.

Uva Urſi.

Character. Folia oblonga, obrotunda, ſtriata, nervoſa, ſaporis adſtringentis cum quadam amaritie; caliculus exiguus, quaſi denticulatus; flos monopetalus, urceolatus; ovarium in centro calicis fit bacca ſpherica, mollis, rubicunda, fœta ſeminibus multis oblongis, ſaporis ſtiptici; hæc arbor creſcit in regionibus calidis, ut in Hiſpania.

Nomen. Uva urſi vocatur, quia ejus fructus uvam refert & ab urſis comeditur.

Vires. Folia fructus & radices ſunt adſtringentes.

Guajacana.

Character. Hujus arboris cortex eſt aſper, rugoſus, rubicundus, lignum coloris cinerei aut cærulei; folia magna lata, alterna, caduca, acuta, aliquantulum villoſa, præſertim in parte inferiori in ſuperiore viridia ſplendentia, in inferiore albeſcentia; caulibus brevibus adhærentia, ſaporis amari & aliquantulum auſteri ſubdulcis; calix quadrifidus; flos monopetalus, campaniformis, infra tubulatus, ſupra in lacinias quinque ut plurimum expanſus; in centro calicis ovarium fit fructus mollis, ſubrotundus, multicapſularis, depreſſus, calice tetra-

tetraphyllo expanſo ſuſtentatus, continens plura ſemina, dura, in circulum diſpoſita; hæc arbor creſcit in Africa.

Vires. Folia & fructus ſunt adſtringentes, hinc conducunt in diarrhæa & hæmorrhagia.

Arbores & Frutices; flore monopetalo cujus ovarium intra florem fit fructus membranaceus.

Ulmus.

Character. Truncus magnus, habens corticem ſtriatum, aſperum, flexilem, externè coloris cinerei, internè albeſcentis; lignum durum, flavum; folia ſatis ampla, rugoſa, venoſa, oblonga, in margine dentata, acuta; flos monopetalus, campaniformis, ſtaminibus multis ornatus; in centro floris fit fructus foliaceus, cordiformis præcox in medio condens capſulam pyriformem pariter membranaceum fœtum ſemine ejuſdem formæ, albo, ſaporis dulcis. Hæc arbor creſcit in pratis.

Arbores & frutices; flore monopetalo cujus piſtillum fit fructus multicapſularis.

Lilac.

Character. Caules exigui, recti, ramoſi, habentes corticem griſeum, arideſcentem, inſtructum medullâ albâ & fungoſa; folia ſibi invicem oppoſita, lata, mollia, viridia, ſplendentia, ſaporis acris & amari, calix monophyllus, tubuloſus, brevis, quadrifidus; flos

monopetalus, infundibuliformis, quadri partitus, vel quinquifidus, in racemos congeſtus, ex pariete interno duo vel tria ſtamina; calicis dentati centrum gerit ovarium, inde fit fructus compreſſus, linguæ ſimilis, diviſus in duos loculos per draphragma, in quos maturus diſſilit, fætos ſeminibus compreſſis marginatis, oblongis, coloris rubicundi; radix flexilis & repens; hæc arbor in Indiis orientalibus creſcit & colitur in hortis.

Nomen. Lilac eſt vox arabica, nonnulli à Lilio derivare faciunt quia ejus flores filium fere referunt; *ſyringa* à σύριγξ, quia rami craſſi medullâ ſuâ orbati ſunt canales.

Erica.

Character. Caules duri, lignoſi, ramoſi, coloris rubicundi fuſci aut obſcuri; folia exigua, aliquantulum dura aſpera, ſemper virentia Tamariſcum referentia; flos monopetalus, campaniformis, nudus, ſæpe urceolum referens; ovarium in fundo floris fit fructus ſubrotundus, quadrifariam hians, quadrilocularis, fætus ſeminibus exiguis imo flore, ut calice, tectus; radix lignoſa ſe in terra extendens; hæc arbor creſcit in ſylvis & in ſterili ſqualido, paluſtri & ſpongioſo ſolo viget.

Nomen. Erica ab ἐρείκω ſive ἐρίκω *frango*, quia hæc planta dicitur vim habere calculos frangendi.

Opulus.

Character. Rami nodoſi, corticem cinereum habentes, medulla alba inſtructi, fragiles; folia

lia lata, angulofa, Vitim referentia, fed magis parva & mollia; finis pedunculi explicatur in multa tenuia, gracilia, foliola, calicis vice fungentia, dein affurgit umbella; flos monopetalus, rotatus, quinquifidus, ovarii apicè innatus, in formam mufcarii vel globi difpofitus ita, ut illi, qui ambitum exteriorem formant, mafculi fint, hermaphroditi interiores, magis tubulofi, ftaminibus tribus præditi; ovarii apex coronatur quinque parvis denticulis, caliculi vice fungentibus, centro emittit tubam triplicem interiorum flofculorum fit bacca mollis, fœta femine compreffo, cordiformi; hæc planta crefcit in paludibus.

Viburnum.

Character. Rami longi, digitum craffi, valde flexiles; eorum cortex eft albefcens; folia ulmi, fed villofa, in margine crenata, in vigore albefcentia, poftea rubicunda; flos monopetalus, rotatus, quinquifidus, ftaminibus quinque ortis ex pariete interno infima partis floris, umbellæ in formam digeftus, innatus ovario; ovarium in orâ fuperiore coronatum caliculo quinquefido inftructum tubâ erectâ veluti triglobofâ bacca mollis plena fucci, fœta unico femine offeo, compreffo, ftriato; hæc arbufcula crefcit in locis faxofis & montibus, *Virgilius* de hac arbufcula canit.

Verum hæc tantum alias inter caput extulit urbes,
Quantum lenta folent inter viburna cupreffi.

Nomen. Viburnum feu *viurna* vocatur *à vie-*

re, quia inſervit ad faſciculos compingendos.

Tinus.

Character. Rami longi, quadrati, ramoſi; folia magna, ampla, bina, juxta ramos ſe invicem oppoſita, nigra, ſplendentia, aliquantulum lanuginoſa, ſempervirentia, inodora, ſaporis amari cum aliqua adſtrictione; caliculus geminus, inferior trifidus, ſuperior quinquifidus, uterque monophyllus; flos monopetalus, rotatus, quinquifidus, infra breviter tubulatus, quinque ſtaminibes ex pariete interno tubuli floris ortis; ovarium in fundo calicis, tubâ longâ, triquetrâ ſcabrâ inſtructum, fit fructus Olivæ ſimilis, umbilicatus, fœtus ſemine unico pyriformi; hæc arbuſcula creſcit in locis ſaxoſis.

Vires. Hæc planta eſt venenata, ſi baccæ ore contineantur fauces exurunt, in hydrope aliquando dantur ſingulari ſucceſſu, nam fortiter purgant, ſed non ſuaderem, hanc plantam internè adhibere.

Caprifolium.

Character. Folia ramorum nodis adhærentia, bina, per intervalla ſe invicem oppoſita, oblonga, acuta, mediocriter ampla, mollia in parte ſuperiori viridia, in inferiori albeſcentia; finis pedunculi abit in foliolum, quod à pedunculo perforatur, in hoc foliolo, circa pedunculum perforato foliolo emergentem, ſex ovaria plerumque longa, urceolata, quorum apex coronatur coronâ quinquefidâ; intra hanc, ut calicem apici ovarii innaſcitur, flos

flos monopetalus, inferius tubulosus, superius bilabiatus, superiori labio multifido, simplici & linguæ simili inferiori, stamina quinque ex pariete interno tubulatæ partis floris; ovarium tubâ longâ apice globoso donatâ instructum fit bacca mollis, per maturitatem rubicunda, fœta semine compresso, fere obrotundo, satis duro; radix longa, repens, lignosa; hæc arbuscula crescit in hortis.

Nomen. Caprifolium vocatur à *capra & folia*, quia capri tenera hujus arbusculæ folia comedunt.

Periclymenum.

Character. Habitus Caprifolii; flos monopetalus, tubæ modo æmulus, supra multifidus æqualibus fere segmentis; ovarium coronà dentatâ fastigiatum, fit bacca mollis, fœta semine compresso, subrotundo. Hæc planta sempervirens flores habet, colitur in hortis, ex virginia fuit transportata. Ejus sapor est acris & urens.

Nomen. Periclymenum vocatur à *περὶ circum* & *κυλίω volvo* quia rami hujus arbusculæ plantas vicinas amplectit.

Xylosteon.

Character. Caules mediocriter crassi; lignum album; rami rotundi, corticem rubicundum in initio, postea albescentem habentes; folia oblonga, mollia, viridia, albescentia, aliquantulum lanuginosa; pedunculi finis format calicem constantem binis foliolis majoribus, quatuorque brevioribus, quorum duo

hinc inde majoribus interponuntur; calici huic gemina ovaria innaſcuntur rotunda, in apice ſuo coronata caliculo quinquifido, emittuntque excentro ſui faſtigii tubam longam apice globoſo donatam; flos apici ovarii, intra calicem, innatus monopetalus, oblongus, tubuloſus, campaniformis, quinquefidus, expanſus, quinque ſtaminibus ex pariete interno tubuloſæ partis floris enatis præditus; hæc arbuſcula creſcit in montibus & ſylvis.

Nomen. *Xyloſteon* vocatur à *ξύλον lignum*, & *ὀςέον os*, quaſi *lignum oſſeum*, quia tam duritie quam albedine os refert.

Chamæceraſus.

Character. Calix tenuis, longus, anguſtus, bifolius, cui medium inſidet ovarium; flos monopetalus, parte inferiori tubuloſus, bilabiatus ſuperius, labio ſuperiori multifido, ſimplici, linguæ ſimili inferiori, ovario inſidens, quandoque geminus, in uno ovario, quinque ſtaminibus præditus; ovarium ſæpe uno pedunculo geminum, emittens intra quemlibet floſculum tubam longam, abit dein in baccas molles, fœtas ſemine compreſſo, ſubrotundo.

Arbores & Frutices; flore monopetalo a fuctu ſeparato.

Viſcum.

Character. Folia conjugata, craſſa, dura, venoſa, anguſta, oblonga, coloris viridis flaveſcentis aut pallidi caules digitum craſſi, duri,

ri, lignosi, compacti, ponderosi, externè fusci rubicundi, internè albi, flavescentes; flos monopetalus, pelviformis, quadrifidus, verrucis conspersus, mas; ovarium alio à flore loco natum, tenerum, quatuor foliolis succinctum, fit bacca subrotunda, glutine plena mollis, alba, splendens, fœta semine plano cordato. Hæc arbor per totam hyemem viret, unde *Virgilius* canit.

Quale solet sylvis brumali frigore viscum
Fronde virere nova, quod non sua seminat arbos.

Viscum etiam vocabant antiqui rete à tenacitate, unde idem Auctor canit.

Tum Laqueis captare feras & fallere visco
Juventum & magnas canibus circumdare saltus.

De feris enim hic proculdubio, non de avibus loquitur *Virgilius*.

Nomen, *Viscum* vocatur, quia ejus fructus glutine est plenus.

Vires. Hæc planta adhibetur in epilepsia, paralisi, apoplexia, lethargo & convulsionibus & lumbricis, convenit in nimio fluxu mensium alvi & hæmorrhoidum, ut & in inflammationibus internis; ejus fructus est acris & amarus, ejus gluten conducit in abscessibus maturandis, internè nunquam adhibetur quia nimis fortiter purgat.

Arbores & Frutices flore rosaceo.

Cotinus.

Character. Rami rotundi cortice rubicundo & obscuro instructi, folia ampla, venosa, rotunda in longo pedunculo; caliculus exiguus, quinquefidus; flosculus rosaceus, pentapetalus, in ramulis capillaceis; ovarium fit fructus orbicularis, duro putamine impartibili tegens semen triangulare, coloris rubicundi, fusci aut nigri; radix lignosa; hæc arbuscula crescit in montibus; lignum ejus flavum.

Nomen. Coccigria vocatur à κόκκος *granum* & ἄγρια *sylvestris*, quasi *grana sylvestria.*

Vires. Hujus arbusculæ lignum tinctoribus inservit ad colorem pallidum tingendum & folia ad coria præparanda, folia, rami teneri & semina sunt adstringentia & conducunt in gargarismatibus ut sumach.

Toxicodendron.

Character. Folia terna ut in trifoliis; caliculus exiguus, dentatus, quinquefidus, monophyllus; flos rosaceus, pentapetalus; ovarium in fundo calicis fit fructus subrotundus, succus striatus, fœtus semine compresso.

Nomen. Toxicodendron vocatur à τόξικον *venenum* & δενδρός *arbor* quasi *arbor veneni.*

Vires. Hæc planta tam vehementissimè venenata est, ut illa dicitur omne animalium genus necare, hinc a nullis insectis comeditur, & nunquam hi in ea inveniuntur.

Hippocaſtanum.

Character. Folia digitata, Caſtaneæ, dentata, viridia, ſaporis ſubamareſcentis ; calix quinquifidus, quaſi bilabiatus; flos roſaceus, pentapetalus, anomalus, quaſi bilabiatus, petalis natis ex ambitu imi ovarii, unde & ſtamina quinque ſex vel ſeptem digeruntur flores in ſpicam longam, ſpecioſam ; ovarium in fundo calicis emittens tubam longam, craſſam, apice unciformi præditam, fit fructus hiſpidus, multifariam dehiſcens, unicapſularis, fœtus ſeminibus Caſtaneæ æmulis ; ejus ſemen eſt amarum & acre ; hæc arbor creſcit in Indiis Orientalibus, colitur in hortis.

Nomen. Hippocaſtanum vocatur ab *ἵππος equus* & *caſtanea*, quaſi *caſtanea equi.*

Arbores & Frutices, flore roſaceo Ovario intra florem baccifero.

Celtis.

Character. Cortex hujus arboris eſt politus, albeſcens ; folia Ulmum referentia, ſed longiora, acutiora, in ſuperiori parte viridia, in inferiori albeſcentia, aſpera, dentata; flos roſaceus, polypetalus, ſtaminibus multis, brevibus, ſtipatus ; ovarium bicorne fit bacca rotunda, carnem albam habens, ſaporis dulcis ſtiptici ſatis grati, fœta ſemine ſubrotundo ; hæc arbor creſcit præſertim in regionibus calidis.

Vires. Ejus fructus & folia ſunt adſtringentia, hinc conducunt in diarrhæa & hæmorrhagiis.

Fran-

Frangula.

Character. Caules pollicem craffi, recti, in multos ramos divifi; ejus cortex externè niger, interne flavus & croceus; lignum album, fragile, medullâ rubicundâ inftructum; folia Alni, fed rotundiora & magis nigricantia; finis pedunculi abit in calicem monophyllum, quinquefidum, campaniformem, fegmentis fimbriatis, extrorfum flexis cum flore vel paulo poft caducus, flos pentapetalus, rofaceus, petalis ortis ex interftitiis fegmentorum calicis ex margine interno fummo, calicis ftamina viginti quinque; flores in fpica; ovarium occupans totum calicem, fphæra eft inftructa longâ tubâ, fit dein bacca mollis, fœta feminibus duobus planis, & fubrotundis; hæc arbufcula crefcit in fylvis humidis.

Nomen. Frangula vocatur à *frangendo*, quia ejus lignum eft fragilè.

Vires. Internus hujus arbufculæ cortex valde purgat, hinc conducit in hydrope, & in hoc morbo a rufticis adhibetur, uti & in unguentis pro fcabie.

Hedera.

Character. Cirri parafitici radicantes in quodcunque fuftentaculum; folia angulofa, magna, craffa, dura, rigida, polita, femper virentia, fplendentia, faporis adftringentis & acris; cortex ejus rugofus, cinereus, ejus lignum durum, album; flos rofaceus, plerumque hexapetalus; ovarium in fundo floris fit bacca globofa, fœta feminibus ab uno parte gib-

gibbis ab altera planis. Hæc arbuſcula creſcit circa muros, prima eſt forte Hedera Veterum, hujus plantæ paraſiticæ mirabilem cernitis naturam, ita ut nutrimentum hauriat ab alio, nam rami undique radicibus præditi ſunt, quæ radices ſe omnibus immittunt, vel ſit lignum vel murus, & inde tum nutrimentum hauriunt, & ſi hoc accidat, tum neque flores neque baccas gerunt, inde nonnulli dixerunt eſſe plantam ſterilem, & ſi ponatur in ciſtula radicibus bene depuratis flores & fructus ferunt.

Nomen. Hedera vocatur, quia arbores, quas amplectitur, ſuffocat, & ſupra illas tanquam triumphatus eminet. Veteres hanc plantam adhibuerunt in coronis nectendis.

Vires. Hæc planta eſt antipeſtilentialis, baccæ enim dicuntur venenum expellere, folia vulneribus & ulceribus impoſita ſupplent defectum emplaſtri, nam purum ulcus vel vulnus retinent, & ſic ad fonticulos curandos proſunt; multi illam in peſte pro arcano habuerunt, ſi baccæ cum vino rhenano mane jejuno ſtomacho ſumantur, ſudorem excitant, folia ſunt optima ad peſſima ulcera tegenda, ubi plus quam defenſiva efficiunt; ad pediculos enecandos proſunt, uti in ſcabie, folia in fonticulis adhibentur; ejus truncus inciſus reſinam fundit, quæ eſt flava, rubicunda, dura friabilis & tranſparens odoris fortis, aromatici, hæc conducit in pilis removendis & tumoribus reſolvendis, ingreditur unguentum Althææ.

Vitis.

Character. Caulis tortuoſus, habens corticem ſtriatum, rubicundum; caprioli viticulis ap-

apprehendentes in virgultis longiſſimis ; folia ampla, magna, obrotunda, inciſa, viridia, ſplendentia, aliquantulum aſpera ; flos roſaceus, pentapetalus, ſtaminibus quinque ſtipatus ; ovarium in fundo floris enatum, tubâ brevi, piloſâ inſtructum, fit bacca mollis, pulpoſa, ſucculenta rubra aut alba, ſeminibus pluribus plerumque quatuor fæta ; flores & fructus in racemos congeſti. Hæc planta creſcit in regionibus calidis.

Nomen. Vitis vocatur à *vieo*, *flecto*, quia vitis capreoli apprehendunt plantas vicinas. *Ovidius* de hac planta canit.

Falce data frondator erat, vitiſque putator.

Et *Virgilius.*

Quid faciat lætas ſegetes, quo ſidere terram
Vertere Mecænas, ulmiſque adjungere vites.

Fructus hujus plantæ vocantur *uvæ.*

Vires. Si vere ſummitates vitis ſecentur, tum deſtillatur liquor aperiens, detergens, qui conducit in calculo, nephritide, uti & in oculis detergendis, ſi externè adhibeatur. *Capreoli ſeu pampini* ſunt adſtringentes, refrigerantes, & conveniunt in diarrhæa, hæmorrhagia, & fomentis pedum adhibetur, ejus fermenta ſunt aperientia ; ejus fructus non maturi dicuntur *agreſtæ*, & maturi *uvæ*, quæ appetitum confortant & alvum movent, fructus ſole exſiccati appellantur *uvæ paſſæ* ſeu *paſſulæ*, magni, *uvæ damaſcenæ*, parvi, *uvæ corinthiacæ* quæ proſunt in tuſſi, & phlegmatibus educendis, alvo movendo; folia cocta adſtringunt, aqua ſponte ex planta ſtillans faciei maculas detergit ; ſal tartarum ex vino gallico rubrum educitur, ex germanico album.

Ar-

Arbores & Frutices; flore rosaceo Ovario intra florem fructifero Multicapsulari.

Acer.

Character. Hujus arboris cortex est rubicundus; lignum durum, & satis fragile; folia ampla, lata, angulosa vel laciniata, in parte superiori viridis fusci, in inferiori albescentis, saporis amari & stiptici; finis pedunculi abit in calicem polyphyllum, constantem foliolis tenuibus, gracilibus; flos rosaceus, pentapetalus, staminibus decem sectus; ovarium innatum placentæ orbiculari, crassæ, in fundo calicis positæ, tubâ longâ, instructum, fit fructus constans ex duabus, tribusve capsulis, desinentibus in alam foliaceam, fœtis semine subrotundo, duro, albescente, saporis ingrati; hæc arbor crescit in locis incultis.

Staphylodendron.

Character. Lignum flexile medullâ albâ instructum, folia Sambuci, sed minora, in margine dentata; calix pentaphylloïdes, caducus expansus; flos rosaceus, pentapetalus, erectus, velut in campanam staminibus quinque fœtus; ovarium in fundo calicis tubis duabus præditum, fit fructus membranaceus, inflatus instar vesicæ, divisusque in loculamenta fœta seminibus osseis, calvariæ figura. Hæc arbor crescit in locis incultis & sylvis.

Nomen. Staphylodendron vocatur à σαφυλὴ, *uva*

ava & *δενδρος arbor*, quaſi *arbor uvæ*, quia ejus fructus in racemos eſt congeſtus.

Vires. Scaliger, inquit, nuces eſſe edules, ſeſe enim multoties ediſſe ut Piſtachiæ; ex ſeminibus oleum reſolvens exprimitur.

Paliurus.

Character. Rami longi & ſpinoſi; ſpinæ longæ acutiſſimæ, certo ordine locatæ, folia parva, obrotunda, acuta, coloris viridis obſcuri, quaſi rubicundi; calix monophyllus, pentaphylloïdes; flos raſaceus, flavus, pentapetalus, ſtaminibus quinque præditus; ovarium in fundo calicis fit fructus petaſum vel umbonem, referens, fœtus fructu globoſo, triloculari, ſemine in quolibet loculorum rotundo. Hæc arbuſcula creſcit in locis humidis.

Azederach.

Character. Folia Fraxini, in margine dentata; caliculus pentaphylloïdes; flos roſaceus, pentapetalus, cum tubo longo in faſtigio ſuo margine dentato ornato, ex centro floris enato, ovarium in fundo calicis fit fructus, fere globoſus, mollis, fœtus teſtâ ſtriatâ, ſubrotundâ, quinqueloculari, in ſingulis horum latet ſemen oblongum. Hæc arbor creſcit præſertim in Italia, & multis aliis locis calidis

Nomen. Azedarach, eſt vox Arabica.

Vires.. Avicenna dicit hanc arborem eſſe venenatam.

Euony-

Eüonymus.

Character. Lignum eſt durum, colori flavi albeſcentis; folia oblonga, acuta, dentata, mollia; calix monophyllus, quinquifidus, aut quadrifidus; flos roſaceus, tetrapetalus vel & pentapetalus, ſtaminibus quatuor vel quinque fœtus; ovarium in fundo calicis inſtructum tubâ bifidâ, fit fructus, membranaceus, angulatus, in loculamenta quatuor vel quinque diviſus fœtus ſeminibus longis, ſolidis, medullâ albâ inſtructis externè coloris crocei, ſaporis amari & ingrati. Hæc arbuſcula habet odorem penetrantem & creſcit in locis incultis.

Nomen. Euonymus vocatur ab εὖ bonum & ὄνομα *nomen*, quaſi *planta boni nominis* per ironiam, quia animalibus nocet.

Euonymoïdes.

Character. Folia alterna, non conjugata; finis pedunculi fit calix monophyllus, quinquefidus, ſtellatus; flos roſaceus pentapetalus, quinque ſtaminibus præditus; flores in ſpicis; ovarium placentulæ in fundo calicis ſitæ innatum, tubâ inſtructum cum apice ſcabro, fit capſula globoſa, trilocularis, ſingulis loculis gerens duo ſemina pulpæ immerſa.

Syringa.

Character. Rami articulati, corticem rubicundum aut cinereum, medullam fungoſam & albam continentes; folia oblonga, lata, venoſa, leviter dentata in margine, acu-

acuta, ſe invicem oppoſita, ſaporis aliquantulum acris; calix monophyllus, quadrifidus ſegmentis magnis expanſis; flos roſaceus pentapetalus, ſtaminibus ad ſedecim uſque fœtus; ovarium in fundo calicis inſtructum quatuor tubis erectis, apiculatis, fit fructus calici coronatus, turbinatus, quadrilocularis, niger, quadrifariam dehiſcens; fœtus ſeminibus exiguis, & oblongis; radix in multos ramos eſt diviſa; hæc arbuſcula colitur in hortis.

Nomen. Syringa à σύριγξ *fiſtula*, quia rami hujus arbuſculæ medullâ orbata inſervire poſſunt ad fiſtulas faciendas in ſyringis. Poëtæ fabulantur ſyringam fuiſſe Nympham arcadiæ, quæ quum Panos vim effugere non poſſet, miſeratione Deorum mutata eſt in paluſtres calamos; hinc *Ovidius* canit.

Inter Hamadryas celeberrimas non acrinas
Naias una fuit, Nymphæ Syringa vocabant.

Arbores & Frutices; flore roſaceo; ovario intra florem nato, fructu ex ſiliculis multis, in capitulum congeſtis compoſito.

Spiræa.

Character. Rami tenus cortice rubicundo inſtructi; folia longa, anguſta ut Salicis, in margine dentata, in parte ſuperiori viridia, in inferiori rubicunda, ſaporis adſtringentis ſubamari; calix monophyllus, quinquefidus, ſtellatus, flos roſaceus, pentapetalus, ex calicis margine interiore ad interſtitia ſegmentorum,

torum, natis petalis & ſtaminibus valde numeroſis; ovarium in fundo calicis fit fructus compoſitus ex quinque ſiliquis, fœtis ſemine oblongo, exiguo, compreſſo flaveſcente, innatis ſingulis ſuæ placentulæ; hæc arbuſcula colitur in hortis.

Nomen. Spiræa vocatur à græca voce σπεῖρα *funis*, quia hæc arbuſcula eſt flexilis inſtar funis.

Arbores & Frutices; flore roſaceo, polypetalo, piſtillo frugifero, fructu carnoſo, fœto ſeminibus calloſis.

Aurantium.

Character. Folia rigida, ad baſin duabus utrimque appendicibus ſeu lobis in cordis formam inſciſſis; calix inſtar cotylæ orbicularis, parum cavus, brevis, quinquefidus vel & ſciſſus in ſex ſegmenta, flos pentapetalus, roſaceus, multis ſtaminibus infra concretis ornatus; ex imo centro calicis placentæ orbicularis nata ſuſtinet ovarium, fere rotundum, tubâ longâ inſtructum, id fit fructus globoſus, cortice carnoſo cinctus, diviſus in varia loculamenta, ſucci & veſicularum plena, fœta ſeminibus calloſis. Hæc arbor creſcit in regionibus calidis præſertim in Hiſpania & Luſitania. *Rapinus* de hac planta canit.

Solis amans nunquam obliviſcitur aurea malus.
Nec ratione alia, glacialem ad ſtymonis undam.

 Lan-

Languet, ubi Hesperios exultat læta per Hortos.
Id circo mollem lædant ne frigora planta,
Cum boreas florum semper sævissimus hostis,
Torquet agens violentam hyemem, vel nubila differt,
Est tibi particibus longum retinenda sub altis,
Et contra duros hyemis servanda rigores,
Donec agat Zephyros annus, solemque reducat
Sic tibi florebit nemus admirabile luxu
Perpetuo, semperque novos halabit odores.
Diversa porrò species, diversaque poma
Arbor habet.

Nomen. Aurantium vocatur ab *aureo colore*; alii hanc arborem denominant à Provincia Aurangiaca.

Vires. Cortex est congeries vesicularum exiguarum oleum inter se communicantium vide *Malpighium*, contundendo corticem oleum exprimitur, vis est stimulans, calefaciens, & cardiaca, qui cortex conducit in passione hysterica, in flatibus & torminibus præcipuè abdominis debili stomacho, dysuria, stranguria; interior autem fungosa substantia ob sui adstringentiam in nimio mensium fluxu & dysenteria prodest; ejus flavedo datur in substantia ad dragmam semis, item oleum destillatum quam ex flavedine expressum ad guttas duas vel tres in aqua appropriata destillata, addito simul syrupo sed gratum saporem; *Amstelodami* prostat oleum ex flavedine corticum aurantiorum recens expressum, quod ex Hispania transfertur & venditur sub nomine quintæ essentiæ aurantiorum magis laudatur, ac oleum destillatum; folia destillata dant aquam carminativam, dein cum aqua dant spiritum carminativum,

tivum, conditum in saccharo, per infusionem potum antiscorbuticum, optimum contra colicam, & lumbricos, carnosus cortex nullius est usus, nisi obstipantis, pulpa est optima continens succum, qui habet vim instar fermentatorum liquidorum, cerebrum tamen non afficiens, neque sanguinem incalens, sed semper frigefaciens, succi conficiuntur contra scorbutum, nam nautæ potantes hos semper sanantur, quia ille est contra salinas carnes & aquam putridam, ex succo fit extractum, quod tamen destillatum diu servari potest, sed cum saccharo in sapam decoctum dat mellaginem ad pituitosa & menstrua provocanda; in foliis est eadem vis ac in cortice, condiuntur cum saccharo, folia decocta dant aquam corminativam, ejus succus est optimus in febribus ad sitim levandam.

Citreum.

Character. Rami extensi, flexiles, cortice viridi & polito instructi, folia Laurinis similia, longa, acuta, rigida, absque appendice, carnosa, in margine dentata, coloris viridis splendentis, præsertim in parte superiori, odoris penetrantis; flos rosaceus, ut plurimum polypetalus, ex coliculo tenui carnoso, quinquefido; pistillum calicis fit fructus oblongus, donatus, carne crassa inæquali, carnosâ, in initio viridi, postea citreo & splendente, interne alba, odoris satis grati, saporis aromatici & grati, hic fructus dividitur in loculamenta succo acido grato & seminibus externè duris, oblongis, albis medullosis, saporis aliquantulum amari fœta; hæc arbor crescit in

 regio-

regionibus calidis, ut in Italia & Gallia. *Rapinus* de hac arbore canit.

—— tendit Citrus se gibber in orbem
Oblongum, spissoque suum sub cortice succum
Includit; trites gustus, acidique sapores
Sunt interdum aliis, quod ora offensa recusent,
Quamquam cor fovet is, qui linguam torquet amator.

Nomen. Hæc arbor vocatur *Citrum* aut *citreum*, ejus fructus *malum citreum*

Vires. Folia & flores sunt cordiales, ejus flavedo fragrantior & spirituosior est quam corticum aurantiorum & propterea in lypothemia, syncope & capitis debilitate ad confortandam memoriam singulari cum successu adhibetur, uti & in scorbuto, dantur ut cortices aurantiorum, semina sunt cordialia & lumbricos figant.

Limon.

Character. Folia ut citrei; flos ut Citrei; fructus ut Citrei, sed caro tenuior longè, quam Citrei ipse fructus minor; cortex tenuior, pulpa copiosior, succus acidior.

Nomen. Limon à λειμῶν pratum, quia hæc arbor est viridis instar prati, uti & fructus ante perfectam maturitatem.

Vires. Hujus fructus cortex cum aqua destillatus dat spiritum, ejus aqua per se destillata conducit ad spiritus nimis torpentes excitandos odore, halitu, affrictu, eleosaccharo & condito, succus acidior penetrantior aurantii in omni morbo, ubi sitis prædominatur, ut in summa

ſumma peſte; folia ad corticem accedunt ſed minoris ſunt virtutis, ex oleo vel aqua deſtillata dant aquam lacteam, ſi cum alcohol citri adhibeatur, malum adami figura & colore cum aurantia convenit, ſed differt quod folia appendicibus careant, vires cum aurantiis conveniunt.

Arbores & Frutices, flore roſaceo, ovario in calice nato, abeunte in fructum carnoſum fœtum teſta oſſea, continente nucleum.

Prunus.

Character. Hujus arboris cortex eſt griſeus, fere purpureus; folia Prunum ſativum referentia ſed minora, ſaporis adſtringentis monophyllus, quinquefidus, flos albus roſaceus, pentapetalus, ſtaminibus triginta vel ultra præditus; ovarium in fundo calicis fit fructus niger ſubcæruleus ovatus, vel globoſus ſub tenui, glabrâ, tunicâ pulpam mollem condens, in medio ſui continentem officulum oblongum, vel ovale compreſſum, utrimque acuminatum, unico intus nucleo fœtum; pediculus ſatis longus fructui ſuppoſitus; fructus caro eſt dura, virideſcens, ſaporis ſtiptici; radix lignoſa, nigra, ſe undique extendens; hæc arbor creſcit in locis incultis. *Virgilius* de hac planta canit.

Et ſæpe alterius ramos impune videmus
Vertere in alterius, mutatamque inſito malo
Ferre pyrum & prunus lapidola rubeſcere corno.

Nomen. Prunus vocatur à *voce græca* προῦνη, quod idem ſignificat.

Vires. Ejus lignum & folia ſunt adſtringentia, hinc in diarrhæa & dyſenteria conducunt; flores vino albo infuſi ſudorem eliciunt, & conveniunt in pleuritide; fructus immaturus compreſſus dat ſuccum, poſtea coctione induratum, nigricantem, ſaporis acidi auſteri & adſtringentis; qui ſuccus tum ita præparatus dicitur *Acacia noſtra* ſeu *Acacia germanica*, convenit in hæmorrhagia, diarrhæa, & vomitu.

Armeniaca.

Character. Folia Populi nigræ, dentata, acuta, ſaporis acidiuſculi; calix monophyllus, quinquefidus, vel & in ſex ſegmenta profundè ſectus, cavus; flos roſaceus, pentapetalus, petalis natis ex margine calicis coronante cavitatem, petala aliquando ſex, ſtaminibus triginta fæcundus; ovarium in imo fundo calicis inſtructum tubâ longâ fit fructus fere globoſus, carnoſus, ad latera paululum compreſſus, juxta longitudinem ſulcatus, carnoſus, continens oſſiculum plenum, fere glabrum in quo unus plerumque nucleus, aliquantulum amarus ſaporis grati, pediculo valde brevi; fructus caro eſt dulcis, tenera, ſaporis grati; hæc arbor colitur in hortis.

Nomen. Armeniaca ab *Armenia*, ubi creſcit.

Vires Hujus arboris fructus eſt cordialis, pectoralis & humectans, exſpectorationem promovet, ex nucleis oleum exprimitur inſtar olei Amygdalarum dulcium, quod conducit in ſurditate & aurium tinnitu & in hæmorroïdibus leniendis.

Per-

Persica.

Character. Rami longi, extensi, fragiles; folia oblonga, angusta, acuta, in margine dentata, saporis amari; calix monophyllus, in quinque vel sex segmenta profundè sextus, expansus, cavus, intra hunc flos rosaceus, pentapetalus vel hexapetalus, petalis ex margine calicis cavi internè enatis, & staminibus triginta fœcundus; ovarium in imo fundo calicis, instructum tubâ longâ apice globoso, scabro præditâ fit fructus carnosus, ferè globosus, juxta longitudinem sulcatus, fœtus officulo profundis scrobiculis exsculptis ornato, in quo nucleus rubicundus oblongus plerumque unus; pediculo valde brevi; ejus caro est medullosa, vinosa, succulenta, saporis grati, nucleus est compressus saporis aliquantulum amari sed grati; hæc arbor colitur in hortis.

Nomen. Persica vocatur à Perside Orientis regione, unde primum hoc arboris genus in nostrum orbem est advectum.

Vires. Folia instar Thée infusa purgant & aperiunt, uti & flores & conducunt in vermibus, fructus est cordialis, pectoralis & humectans, ejus succus febribus ardentibus prodest; nucleus est anticolicus & antinephriticus, ex hoc oleum exprimitur, quod convenit in aurium tinnitu.

Cerasus.

Character. Folia majora, lucida; calix valde cavus monophyllus, coronatus, coronâ quinquifidâ, expansus, per maturitatem retro-

flexus; flos rosaceus, pentapetalus, petalis natis ex interstitiis segmentorum calicis, staminibus triginta fœcundus; ovarium, tubâ longâ instructum in imo fundo calicis fit fructus pulposus, subrotundus, vel cordatus fœtus testa osseâ rotundâ condente nucleum similem; pediculus fructui valde longus; hæc arbor colitur in hortis.

Nomen. Cerasus vocatur à *Cerasunte Ponti civitate*, quam quum *Lucullus* delevisset, inde illam Romam transtulit, à civitate Cerasum appellavit, fructus ejus dicitur *cerasum*, *Ovidius* canit.

Audiat hæc cerasus, stipes inanis erit.

Vires. Fructus diluit & refrigerat & aperit, alvum movet, ejus nucleus conducit in calculo renum & vesicæ; ex trunco arboris substantia gummosa destillatur, quæ est diuretica externè etiam convenit in scabie; lignum adhibetur ad instrumenta musica construenda, quia est sonorum.

Malpighia.

Character. Calix exiguus, monophyllus, quinquefidus, segmentis bifidis; flos rosaceus, pentapetalus, staminibus in formam tubi coalescentibus; ovarium in fundo calicis fit fructus carnosus, globosus, mollis unicapsularis, condens ossicula tria, alata fœta nucleo.

Amyg-

Amygdalus.

Character. Folia longa, angusta, acuta, saporis amari & grati; calix monophyllus, quinquefidus; flos rosaceus, pentapetalus, staminibus multis præditus; ovarium in fundo calicis instructum tubâ longâ donata apice globoso, fit fructus, callo pulvinato, minus spisso siccciore condens ossiculum rugis minus profundis ornatum, in quo nucleus oblongus plerumque unus; pediculo brevissimo. Hæc arbor crescit in regionibus calidis.

Vires. Amygdala dulcis est aperiens, pectoralis, & restaurans, convenit in atrophia, tabe & hectica, ob vim medicamentosam conducit in omnibus affectibus acrioribus, mulcendo & obtundendo tormina quoque tollit, ex hac duplex oleum parari potest, unum ex amygdalis parum crematis præloque commissis, quod optimum, si plane non cremarentur adhuc melius esset; alterum fit evaporando emulsiones factas, tum oleum remanet quod nullius est momenti; ob oleum quo gaudet, fœces alvinas induratas emollit & alvum solvit, urinæ acredinem temperant, uti & acidum à quo sæpe inflammationes internæ pleuritis nempe & nephritis oriuntur; oleum internè datur, quando recens est expressum, nam inveteratum rancidum est & nauseosum; amygdalæ amaræ ob sui amarorem ad caliditatem inclinant, & minus temperatæ sunt ac dulces, harum oleum expressum diuresin movet, calculum & nephritidem curat, est quoque antipleuriticum; externè convenit in aurium tinnitu& surditate à sordibus auri impactis; di-

cuntur ob ſui oleoſitatem ebrietatem præcavere ſi ante pòtum comedantur.

Ziziphus.

Character. Truncus hujus arboris eſt tortuoſus, inſtructus cortice aſpero, inæquali ſtriato; rami duri, ſpinoſi; folia oblonga, aliquantulum dura, obtuſa, coloris viridis ſplendentis, leviter in margine inciſa, calix monophyllus, quinquefidus; flos roſaceus, pantapetalus, ſtaminibus multis præditus, ovarium in fundo calicis inſtructum tubâ longâ donatâ apice globoſo, fit fructus olivæ magnitudine, callo pulvinato, minus ſpiſſo ſicciore condens oſſiculum rugis minus, profundis ornatum, in quo nucleus oblongus plerumque unus, utrinque acuminatus, pediculo breviſſimo incluſus pulpa molli fungoſæ, ſaporis mellei & vinoſi. Hæc arbor creſcit in regionibus calidis.

Vires. Fructus ejus eſt pectoralis & aperiens, decocta pectoralia & nephritica ingreditur, ſymbolizat cum dactylis & ficubus,

Myxa.

Character. Folia obrotunda, in margine dentata; flos parvus, albus, pentapetalus, roſaceus, in racemum congeſtus; ovarium in fundo calicis fit fructus Pruniformis calice exceptus, nigricans, in plicas ſive rugas contractus, includens in ſuſtantia carnoſa mellea, oſſiculum ſimplex aut triplici loco inſtructum, tribus angulis vel coſtis notatum, in ſingulis horum unus nucleus conditur exilis, albus, longus,

gus, ſaporis avellanæ & grati, pediculo longo Hæc arbor creſcit in Siria & Ægypto.

Nomen. *Myxa* vocatur à *græca voce* ἀπὸ τῆς μύξης à *mucore* quia fructus eſt glutinoſus; alii *ſebeſta* vocant ab *urbe ſamariæ*, ubi olim magnâ in copiâ creſcebat; vel à σεβάστος *auguſtus*, quaſi *fructus auguſtus*, quia capitulum in capite gerit.

Vires. Ejus fructus eſt humectans, emolliens, & pectoralis, alvum movet, virtutes ſunt ut in jujubis.

Lauroceraſus.

Character. Caulis rectus, ramoſus; ejus cortex eſt viridis fuſcus, lignum album; folia craſſa, dentata, nervoſa, ſplendentia, ſemper viridia, Lauro ſimilia, ſaporis adſtringentis & amari, calix cavus, infundibuliformis orâ planâ, quinquefida; flos roſaceus, pentapetalus, ſtaminibus multis fœcundus; ovarium in fundo calicis inſtructum tubâ longâ fit fructus ceraſo ſimilis, fœtus putamine obrotundo, tenui, fragili continente ſemen oblongum, ſaporis amari; hæc arbuſcula colitur in hortis.

Nomen. *Lauroceraſus* vocatur, quia flores Lauri & fructus Ceraſi habet.

Vires. Folia adſtringunt, hinc ſtomachum confortant.

Arbores & flore rosaceo polypetalo in quibus ovarium calice coronarum florem sustinet, & fit fructus umbilicatus, fœtus seminibus multis callosis.

Pyrus.

Character. Truncus magnus, lignum flavescens; habitus procerior & erectior quam mali; folia satis lata, obrotunda, aliquantulum oblonga, acuta, viridia, in fine albesentia; finis pedunculi abit in ovarium oblongum, cujus margo suprema fit corona expansa, instar calicis, in quinque segmenta, stellatim expansa, in centro cava; flos ovario innatus habet petala quinque expansa instar Rosæ, nata ex interstitiis segmentorum coronæ & stamina viginti vel ultra, etiam inde nata ex ora calicis; ovarii supremi centrum emittit tubas quinque terminatas in apicem scabrum, orbicularem, & ovarium ipsum fit fructus oblongus turbinatus, quinquelocularis, carnosus, umbilicatus, divisus in quinque loculamenta, fœta seminibus nigris; hæc arbor crescit in hortis.

Nomen. *Pyrus Pyra* vocatur à *pyramide*, quia ad similitudinem pyramidis ex lato tendat in acutum, flammæ similitudinem reddens.

Vires ejus sunt valde notæ.

Cratægus.

Character. Folia solitaria non pinnata; calix, flos rosaceus, pentapetalus, & ovarium

ut

ut in Pyro; fructus figurâ Pyri, magnitudine baccæ, umbilicatus, in loculis membranosis semina callosa condens.

Sorbus.

Character. Truncus rectus, corticem asperum, pallidum habens; lignum durum, compactum & rubicundum, reliqua ut in Pyro & Cratægo, sed folia ut in Fraxino pinnata; hæc arbor in hortis colitur.

Nomen. Sorbus vocatur à *sorbere* quia ejus fructus maturus est ita mollis, ut sorbere possit.

Vires. Hujus plantæ fructus immaturus est adstringens, refrigerans & conducit in diarrhæa vomitu, & hæmorrhagiis, hæc mala, ut docet *Martialis* alvum sistunt.

Sorba sumus molles nimium durantia ventres,
Aptius hæc puero, quam tibi poma dabis.

Malus.

Character. Truncus habet externè corticem cinereum, asperum, internè flavescentem & politum; lignum durum album aut albescentem, folia oblonga, obrotunda, altera acuta, altera obtusa, leviter in margine crenata, in initio parte inferiori aliquantulum lanuginosa; finis pedunculi fit ovarium, cujus margo superior explicatur in coronam, instar calicis monophylli explicatam in quinque magna segmenta expansa; flos rosaceus, pentapetalus, ovario intra coronam innatus, habet petala nata ex interstitiis segmentorum, & stamina multa

ta orta ex calicis interno ambitu; ovario aucto petalis excussis, elapsis staminibus, marcescunt quinque tubæ longæ, ovarii centro emissæ, contrahitur calix, fitque fructus pomum umbilicatum, quinqueloculare, carnosum. Malus sylvestris hic modo ex seminibus crescit, nec inoculando nec alio modo, illa valde acerba poma fert, & inde componitur syrupus de pomis sylvestribus, ubi est adstringendum; hæc arbor crescit in hortis. *Tibullus* de malo canit.

Tunc victus abiere feri: tunc consita pomus.
Tunc bibit irriguas fertilis hortus aquas.

Vires sunt humectantes, pectorales, refrigerantes, cordiales aperientes, conducit hic fructus in melancholia, ventrem emollit.

Guanabanus.

Character. Lignum tenerum; calix trifolius; flos tripetalus, rosaceus, staminibus numerosis præditus; ovarium in fundo floris & calicis fit fructus globosus aut turbinatus, carnosus mollis, in quo semina multa, dura, longa; hæc arbor crescit in Indiis.

Guajava.

Character. Truncus rectus, durus, ramosus; cortex ejus est politus, coloris viridis, rubicundi, odorantis, saporis austeri; folia oblonga, lata, carnosa, ad finem paululum aculeata, supernè glabra, infernè aspera, sempervirentia, aliquantulum crispata, venosa, colo-

coloris viridis fuſci, ſplendentis, caulibus craſſis & brevibus adhærentia; finis pedunculi abit in ovarium ovatum, coronatum, coronâ, calicis inſtar, quinquefida; flos roſaceus, pentapetalus, ovario intra coronam innatus, ſtaminibus quam plurimis præditus; ovarium tubâ longâ inſtructum fit fructus carnoſus, oblongus mollis ſeminibus numeroſſimis exiguis refertus; radix longa, externè rubicunda, internè albeſcens, ſucculenta, ſaporis dulcis; hæc arbor creſcit in America & Indiis Orientalibus.

Vires. Fructus refrigerat & paululum adſtringit uti noſtrum Pomum; radices ſunt adſtringentes, hinc conducunt in dyſenteria & ſtomachum confortat, folia ſunt vulneraria, reſolventia & in balneis adhibentur.

Roſa.

Character. Rami duri lignoſi ſpinoſi cortex plerumque ſpinoſus; folia oblonga, dentata aſpera, pinnata in impar extremum exeuntia; finis pedunculi format ovarium fere ſphæricum, coronatum in faſtigio ſuo coronâ profundè quinquefidâ, radiatâ, cujus ſegmenta longa, atque laciniata calicem referunt; flos pentapetalus habet orta petala ex margine interno calicis, unde & ſtamina numeroſiſſima; ovarium emittens ex centro apicis capitulum tubis multis, fimbriatis ornatum fit fructus unicapſularis, fœtus plurimis ſeminibus, anguloſis villoſis, inſtructus apice foliaceo; hæc arbuſcula creſcit in hortis. *Rapinus* de hac planta canit.

Sed

Sed quæ ſe heſterno nondum Roſa credere ſoli
Audebat nexus omnes, atque omnia rumpit
Vincla, premi impatiens & germine turget a-
perto.
Poſſes de forma reginam, deque pudore
Virgineo poſſes ſentire, fuiſſe pudicam.

Virgilius.

Primus vere roſam atque Autumno carpere
Poma.

Horatius.
Huc vina & unguenta, & nimium brevis
Flores amænæ ferre jube roſæ:

Nomen. *Roſa* vocatur à ῥόδον, Roſa & ὄζω, *ſuave oleo*; quia flos ſuaviter olet.

Vires. Decima octava & nona ſunt adſtringentes, detergentes, hinc conducunt in vomitu ſtomacho debili, & hæmorrhagiis, proſunt in phtyſi ad conſolidanda ulcera, ut & hæmoptyſi; paratur nobile balſamum roſarum ex proprio oleo deſtillato apud Perſas, ejus fructus conducit in diarrhæa dyſenteria & ſtranguria; externè convenit inſtar fomenti in luxationibus & in nervis confortandis.

Tamariſcus.

Character. Cortex eſt aſper, externè griſeus, internè rubicundus; lignum album; folia parva, longa, rotunda, tenuiſſima, coloris viridis palleſcentis; calix exiguus; flos exiguus, roſaceus, pentapetalus; ovarium eſt capſula oblon-

oblonga, membranacea, bivalvis, feminibus pappofis, & nigris plena; radix craffa, lignofa in multos ramos divifa; hæc arbor crefcit in regionibus calidis circa flumina.

Vires. Ejus fructus Tinctores adhibent ad nigrum colorem tingendum, confpirant cum corticibus fraxini & cum his fimul folent præfcribi, utrique cortici affignatur fpecifica vis contra vitia lienis unde ex ligno tamarifcino conficiuntur pocula, ex quibus lienofi omnia medicamenta & potulenta capiunt, cortices conducunt in chlorofi, nonnulli hos adhibent loco ligni Guajaci, corticis combufti cineres funt cauftici, externè cataplafma ex corticibus lienofis applicatur, admodum conducit, præcipuè fi addatur cortex capparis.

Molle.

Character. Folia Lentifci, fed longiora, anguftiora, acutiora, pinnata, in impar extremum definentia, fuccum lacteum præbentia; flos rofaceus, exiguus; fructus, globofus oleaginofus inftar grani Piperis, fœtus nucleo parvo offeo; hæ baccæ habent odorem juniperinum, acrem cum quadam amaritie; hæc arbor crefcit in America.

Arbores, hermaphroditæ, flore mare & Ovario, fimul unitis nafcentibus intra fructum.

Ficus.

Character. Caulis non rectus; cortex politus, fed aliquantulum afper, coloris cinerei, lig-

lignum fungoſum, internè medulloſum, album; finis pedunculi emittit caliculum exiguum, triphyllum, unde emergit pericarpium membranulâ obvolutum ſpinoſulâ, in ſummitate fructus contractum, ubi umbilicum formans abit in foliola acuta, multa, ſquamoſa, ſibi invicem ſucceſſive incumbentia, quæ cavitatem ibi apertam connivendo fere tegunt, dum exteriora pedunculo ſuffulta craſſa arctius incumbunt interiora verò abſque pedunculo hærent; ex interno cavi pericarpii pariete undique floſculi hermaphroditi, monopetali, longi tubulorum formâ, oriuntur cum ovariis, quæ ſunt capſulæ teſtaceæ natæ in utriculis pulpoſis, poſitis intra tracheas, quatuor figuris ibi appictis; fructus pyriformis, figuræ rotundæ ac depreſſæ, coloris ex flavo fuſci, intus copioſiſſimis granulis per pulpam infarcti, ſaporis dulcis, odoris debilis, non ingrati. Radix longa, numeroſa, filamentoſa; hæc arbor creſcit in regionibus calidis. Fructus non maturus dicitur *groſſus ſeu groſſa*, & maturus *ficus*, ſiccatus, *caricæ aut ficus* paſſæ.

Vires. Omnia acria demulcent potius quam dactyli, hinc in tuſſi Aſthmate raucedine, ardore urinæ, iſchuria, mictu cruento, nephritide, mire commendantur, urinam adeo potenter pellere dicuntur, ut tam eorum decoctum quam arilli manifeſtè à quibus conſpecti fuerint, inſtar gargariſmatis adhibentur ad morbos faucium, in ſpecie temperant acidum variolarum & morbillorum ſanguinis ardorem; externè impoſiti maturant emolliunt, leniunt, & gingivarum, uvulæ & facium tumores ut & harum omnium inflammationes tollunt; nimium eorum uſus generare pediculos experien-

rientia tam veterum quam recentiorum confirmat.

Arbores & Frutices de quibus dubito, quo verſus referre deceat.

Guidonia.

Character. Folia alterna ulmi hyeme demittit; finis pedunculi explicatur in calicem pentaphyllum, ſtellatim expanſum, coriaceâ craſſitie, extus è cinericeo viridem, intus pulcherrimè purpureum; caducum: intra hunc, flos penſapetalus, ſtellatus, extus pallidè purpureus, ſaturatè purpureus intus; petala ad partem inferiorem interius inſtructa ſunt ligaculâ parvâ, hirſutâ; ovarium innatum placentæ pentagonæ, ſtipatur ſtaminibus numeroſis, inſtructis teſticulo globoſo, circumcreſcentibus tubo emergenti, ut in Malva, inſtruitur tubâ longâ explicatâ in apicem fungoſum, fit tandem fructus quatuor vel tribus loculis concretis conſtans, ſub duro putamine, uno nuleo fœtis.

Benzoin.

Character. Ex uno caliculo quadrifolio oriuntur tres floſculi ad eundem ortum, qui ſinguli conſtant uno longo tubo, ſuperius expanſo in tumidum caput, quod in octo ſegmenta profundè funditur, intra hæc ſegmenta ſtamina ſunt brevia, teſticulata, in medio ubi floris

ris ovarium, tubâ longâ instructum, cuncta verò quam minima sunt, ut de ovario non perveniente ad frugem nihil certi sciam folia hyeme ponit.

Vires. Hæc arbor resinam fundit, quæ est substantia resinosa, arida & indurata ex variis splendentibus micis modo flavescentibus, modo albicantibus in massam coacta, saporis pinguis cum quadam dulcedine, odoris suavis; hæc ob sui mollitiem & blandam dulcedinem pulmonibus dicatur, uti & faciei maculis detergendis; externè adhibetur in linimentis, emplastris & balsamis.

Clutia.

Character. Folia Portulacæ accedentia, hyeme cadentia; calix quinquefolius, caducus in eo; flosculus pentapetalus pallidus, ovarium in centro calicis emittit tubum longam, erectam, apice orbiculari instructam, cui circumnascitur tubus tener, cui innascuntur stamina quinque, radiatim circa hunc tubum, fere ad ejus supremum enata; maturum ovarium fit fructus trilocularis, ut in Ricino.

Gale.

Character. Folia alterna; flos mas in pedunculo ex alâ folii ad caulem in racemum longum digestus, est nudus, sex staminibus ramosè positis ornatus; ovarium in eadem planta, alio loco, in pedunculo longè breviore, inhærens, caliculo tetraphyllo, caduco, ambitur floribus masculis aliis, estque globosum, hinc inde sparsum, fœtum uno semine.

Te-

Tetragonocarpos.

Character. Folia ſparſa; finis pedunculi fit ovarium, cujus apici innaſcitur flos vel calix quadrifidus, raro, quinquefidus, expanſus, donatus multis ſtaminibus, octodecim ſcilicet, vel & viginti; ovarium inſtructum quatuor tubis, erectis fit fructus quatuor loculis monococcis; in aliis calix ovario & flori ſuppoſitus.

Tulipifera.

Character. Folia anguloſa, quaſi abſciſſo mucrone; flores inſtar Tulipæ; fructus eſt conus erectus, ſquamoſus, ſub ſquamis ſemina oblonga condens bina, alis membranaceis donata.

Acajou.

Character. Rami flexiles, lignum durum, ſatis leve, aliquando album, aliquando rubicundum, vermes fugans, æſtate hoc lignum fundit ſubſtantiam gummoſam, ſplendentem, odorantem, folia nucis juglandis, ſed magis odorata; finis pedunculi abit in calicem oblongum, quinquefidum; flos monopetalus exiguus, in quinque longa, anguſta ſegmenta diviſus, in initio albus, poſtea rubicundi, odoris ſuavis ut Lilii convallii, in fundo calicis ovarium, Pyriforme, molle, cujus apici innaſcitur capſula renalis, fœta uno ſemine renifor-

niformi; ejus nux eſt in initio viridis, ſed poſtea coloris olivæ, ejus cortex eſt durus, lignoſus, ſpongioſus, internè nigricans, caro hujus fructus, eſt ſpongioſa viſcoſa, dulcis, acida, & adſtringens, ſed ſuccus fermentatus fit vinoſus, ita ut homines reddit ebrios.

Coletta-Veetla.

Character. Folia conjugata, ſpinis ſuccincta; flores monopetali, quinquefidi, vel ut in Witſenianis figuris, pentapetali magni fructus valvis, oblongus, ſeminibus fœtus.

Samoloïdes.

Character. Folia conjugata; finis pedunculi fit calix monophyllus, in quatuor longa gracilia, hirſuta, rugoſa, ſegmenta, ſtellatim expanſa, ſectus, inferius cavus, conicus, calici innaſcitur flos monopetalus, infra cavus, ſupra ſectus quatuor ſegmenta ad unguem uſque inciſa, ſtellatim expanſa, caducus; ex margine floſculi, ubi pandi incipit, pili albi, innumerabiles, oriuntur erecti, intra quæ eodem loco quatuor ſtamina; in centro calicis placenta, cui innaſcitur in cavo calicis ovarium, oblongum, turbinatum, unicapſulare, inſtructum unâ tubâ, bivalve, fœtus uno ſemine, parvo, ovali, compreſſo.

Baſella.

Character. Folia orbicularia, ſucculenta, craſſa,

crassa, nigra; habitus convolvuli instar scandens; ex alis foliorum pedunculi, in quibus flores spicati, masculini in unâ parte plantæ; ovarium baccatum alio plantæ loco in ipsis alis foliorum minorum sessile; radix annua.

Dracuncoloides.

Character. Ex radice pellucente, alba, ex tuberibus multis oblongis non fibrosis constante, instar Asphodeli radicis natâ sursum enascitur tuber orbiculare, teres, ut in Aro, vel Dracunculo; ex quo dein emergunt pedunculi crassi, succulenti, parte posticâ teretes, parte interiori excavati, atque ibi alis suis membranaceis enati alia folia involventes, albi, maculis rotundis ex rubro purpureis picti; ex quibus folia longa, lata integra, in apicem acutum desinentia, ad formam foliorum Musæ utcunque accedentis, ut pedunculа foliorum, pictus, rectus, altus, compressus; apex hujus calicis pedunculi multi exsurgunt, in umbellam fere expansi, apex cujusque pedunculi fit bacca rotunda, monopyrena, umbilicata; apici hujus ovarii insidet flos hexapetalus, expansus sex staminibns rubellis fœcundus.

Convolvulo-Tithymalus.

Character. Radix fibrosa, dispersa, dat caulem lignescentem, in ortu ramorum, geniculatum, ibique ornatum binis foliolis parvis, volubilem, lanuginosum, in pedunculis longis folium trifoliatum, lanuginosum, ex alis fo-

foliorum oriuntur pedunculi longi; in apice cujusque pedunculi nafcuntur primò foliola quatuor, bina utrimque cruciatim difpofita fere, furfumque ad pedunculum retroflexa; fub his duo alia folia majora pofita, ad decuffim priorum, latiora, trifida, formanti fuo complicatu fpeciem caliculi perfectè ut in Afperugine *Tournefortii* ex centro calicis hujus emergit pedunculus, in cujus apice eft fpecies minimi quafi caliculi referentis cotylam, ex hoc emergit flos mas, qui conftat tribus pedunculis, parvis, gerentibus minimum caliculum, ex quo tefticulus mafculinus aureus exit, ut fint ftamina terna, ad eundem locum ex centro calicis majoris oritur ovarium conftans loculis, diftinctis à fe mutuo, monococcis, tuba longa, apice fcabro, præditis; fed alii flores in eadem planta funt fæminini foli; quorum calix, ut priorum intra quem caliculus inftar cotylæ, ex hoc tres pedunculi, in horum apice caliculus, multifidus, hirfutus, intra quem fructus perfectè Tithymali. Hæc planta crefcit in America.

Helianthemoïdes.

Character. Ex fato femine albo, oblongo, parvo, in teffellas per totam fuperficiem eleganter exfculpto, dejicitur radix fibrofa, quæ explicatur in aliquot ftolones erectos, pubefcentes, vix ramofos, pedem & ultra altos; quibus adnafcuntur folia alterna, longa, angufta, fine pedunculo fere, referentia folium veronicæ fpicatæ, flavo-virefcentia, & per intervalla nafcentia, ex alis foliorum longi, tenues,

nues, hirſuti pedunculi, quorum apex explicatur in calicem monophyllum, tubuliformem, profundè quinquefidum hirſutum, parte inferiore cavum & cohærentem ſuperiore expanſum inſtar ſtellæ, flos pentapetalus, roſaceus petalis natis ex commiſſura placentæ & ovarii, pallidè flavis inde & ſtamina quinque teſticulis aureis inſtructa, in fundo calicis placentula, cui innaſcitur ovarium globoſum, inſtructum ſex tubis, ex apice ovarii natis, expanſis, multifidis, luteis; ovarium globoſum per maturitatem dehiſcens trifariam, quaſi deſſilientibus tribus valvis, interiori parieti harum valvularum adnaſcitur nervus longitudinalis, cui juxta totam longitudinem adnaſcuntur curtis pedunculis ſemina, unde videtur uniloculare, quod forte prius in ſex loculos diſtinctum fuerat creſcit in America inter Berbiches & Surinanam.

Valerianelloides.

Character. Ex ſato ſemine cinereo, oblongo, acuto, parvo inſtar ſeminis Cumini minoris fit radix fibroſa, perennis; inde caulis quadrangulus, ramoſus, cinericeus, leviter pubeſcens, fruteſcens; folia conjugata, ſubrotunda, ſcabra, ſerrata, in longo pedunculo, ſulcato, ex alis foliorum; alia folia conjugata ſimilia, ut quaterna ibi ſint, faſtigium caulis & ramorum, fit ſpica longa valde, graciliſque, cui undique adnaſcuntur inſculpti quaſi calices, longi monophylli, profundè quinquifidi, graciles, tubuloſi, lateribus ſpi-

cæ arctiſſimè adhærentes; continent hi calices florem monopetalum, infundibuliformem, orâ quinquefidâ, expanſâ cæruleſcentem pallidulum, ex pariete interno tubuli hujus floris ſtamina duo, in centro verò calicis ovarium eſt, quod conſtat uno ſemine longo cylindrico, inſtructum tubâ longâ apice hæmiſphærico donatâ.

Finis ſecundæ partis.

INDEX

Alphabeticus designans nomina Plantarum, quæ in hoc libro describuntur.

B.

Bu-

D. Dau-

Stel-

Myoso-

Sim-

Q.

R.

Ros-

S.